

PROGRAMMA
DE
THEOLOGIA MORALI

AD USUM

SEMINARII OVETENSIS,

A PROPRIO PROFESSORE DISPOSITUM:

TEXTU

Compendio Cl. P. J. Gury S. J.

PRO FACILIORI INTELLIGENTIA ADDITIS

NONNULLIS HINC ET INDE DESUMPTIS.

SUPERIORIS PERMISSU.

TOMUS SECUNDUS.

OVETI:

APUD CAROLUM URIA ET VALDES:

Typographia Catholica.

1885.

Monitum.



Additiones aperiuntur et clauduntur hoc signo » . Textus indicatur hoc modo: (P. I.), id est, *Principium I.*; (Q. 4.^o), *Quaeres 4.^o*; (R. 2.^o) *Resolves 2.^o*; (188), *n. 188.*

TRACTATUS.

DE STATIBUS PARTICULARIBUS.

Status particulares illi intelliguntur, qui non sunt communes omnibus hominibus in societate degentibus, sed aliquorum peculiare et proprii. Sunt triplicis generis: nempe, status societatis *privatae* seu *domesticae*, status societatis *publicae civilis*, et status societatis *publicae religiosae*. De his statibus et eorum obligationibus agitur in praesenti tractatu. Attamen, cum jam in quarto Decalogi praecepto sermonem fecerimus de obligationibus in societate privata seu domestica, nunc dicendum est: 1.^o de obligationibus in societate publica civili, seu de statu laicorum: 2.^o de obligationibus in societate publica religiosa, seu de statu ecclesiasticorum.

PARS I.

DE STATU LAICORUM.

Personae publicae in civili societate enumerantur praesertim sequentes: 1.^o Principes et reipublicae Magistrati: 2.^o personae forenses: 3.^o medici, chirurgi, et pharmacopolae: 4.^o custodes. His addit Auctor artifices et opifices. De principibus egimus in quarto Decalogi praecepto: hic de ceteris totidem capitibus.

CAP. I.

De personis forensibus.

Personae ad forum spectantes, aliae dicuntur principales, sine quibus iudicium constare nequit, et sunt *judex*, *actor*, et *reus*; aliae minus principales, quae in iudicio interveniunt, sive ad iuvandum iudicem, uti *scribae*, *testes*, *apparitores*, sive ad iuvandos litigantes, uti *advocati*, *procuratores*, et etiam *testes*. De singulis.

LECTIO. 1.^a A.

Art. I. De personis principalibus ad forum spectantibus. §. I. De Iudicibus. 1.^o de Iudicibus proprie et stricte dictis: 2.^o de Iudicibus sic dictis per participationem, seu de Juratis et Arbitris.—Punct. I.

De Judicibus proprie dictis. “Judicium definitur: *Sententia judicis de jure aliquo ab actore contra reum praetenso, praemissa disceptatione causae.* Quatuor ergo ad judicium requiruntur: 1.º ut sententia feratur de jure aliquo: 2.º ut à persona publica, quae judex dicitur: 3.º petente actore contra reum: 4.º disceptatio causae, id est, ut proferantur rationes ad probandam justitiam postulationis actoris, et fiat reo eis respondendi, et sese defendendi facultas. Judicium dividitur: 1.º in *civile et poenale seu criminale.* Hoc delinquentes debitis poenis puniuntur; illo dirimuntur ceterae lites. 2.º Judicium civile subdividitur in *petitorium et possessorium.* In petitorio litigatur de proprietate rei, seu de dominio vel quasi dominio, puta, de jure domus aut beneficii. In possessorio litigatur de sola rei vel juris possessione adipiscenda, retinenda vel recuperanda.”

Definitio Judicis. Ejus obligationes. “Obligationes Judicis sunt duplicis generis: aliae generales et communes, quae ei competunt, in quantum est *persona publica*; et aliae peculiare et propriae, quae ei conveniunt, in quantum est *talis judex.*—*Principia.* I. Omnis, qui munus aliquod seu officium publicum suscipit vel acceptat: 1.º tenetur ex quasi-contractu cum societate munus suum rite adimplere: 2.º gaudere debet intelligentia et scientia sufficienti, ut idoneus evadat: 3.º diligentiam prudentem pro gravitate negotii debet adhibere: 4.º integritate incorruptibili gaudere oportet, ut nec amoris nec odio cedat. (P. I. et II.) Et haec sunt obligationes generales, quae uti Judicibus, sic Advocatis, Medicis et ceteris personis publicis applicari debent. II. Judex, qua talis, tenetur: 1.º factum, quod agitur, diligenter explorare: 2.º jus, seu leges inquirere, quae ad hujusmodi factum pertinent: 3.º sententiam ferre secundum leges et ordinem à legibus determinatum. (P. II. et III.)—III. Quid in causa dubia.—*Quaesita.*—*Circa obligationes generales.*—An judex munera pro ferenda sententia possit accipere. (Q. 2.) An teneatur ad restitutionem, si munera à litigantibus acceperit.—An restituere teneatur, quod ad sententiam aliquam ferendam ex pacto accepit.—An teneatur reparare damnum, quod non impedivit. *Circa obligationes proprias.* An judex damnare possit reum, quem privata tantum scientia solum cognoscit. (Q. 1.)—An possit damnare innocentem, qui juridice nocens convincitur. (Nota.)—An *in foro conscientiae* obliget sententia judicis dubie justa, aut certo injusta. (Q. 6. Nota.)

Punct. II. De Juratis et Arbitris. I. Quinam dicuntur *Jurati.*—Quodnam est eorum munus.—Quae ipsorum obligationes.—An Jurati dare possint votum contra accusatum, juridice quidem de crimine convictum, sed ejus innocentiam privata scientia certo cognoscunt. II. Quinam dicuntur *Arbitri.*—Quid dicitur *compromissum*, et quibus formalitatibus gaudere debet.—Quodnam est Arbitrorum munus.—Quaenam ipsorum obligationes.

LECTIO 2.^a A.

§. II. *De Actore, Accusatore, et Reo.* (n. 24.) “Ad iudicium forense proprie dictum requiritur tum aliquis, qui petit, tum aliquis, contra quem petitur sententiam à iudice proferri. Persona, quae petit, vel petit commodum sibi ex jure debitum, quod fit in causis civilibus, et tunc dicitur *Actor*; vel petit poenam alteri ex jure debitam, quod fit in causis criminalibus, et tunc dicitur *Accusator*. Insuper in causis criminalibus persona, quae petit, aut vult suscipere onus probandi delictum ab alio patratum, aut non vult. In primo casu dicitur proprie *accusator*; in secundo *denuntiator* vel *delator*. Hodie tamen denuntiatio juridica et accusatio promiscue usurpantur, quia onus probandi delictum Procuratori generali (Fiscal) demandatur.

I. Definitio actoris.---*Definitio accusatoris.*---In quo differt à *denuntiatore.*---Quinam possunt esse accusatores.---Quinam prohibentur ex Jure Romano.---Quinam ex Jure Canonico.---Quinam ex Jure Hispano. “Obligationes actoris et accusatoris sunt: 1.^o justa petere: 2.^o agere servato ordine juris. 3.^o petitionem suam manifeste probare.

II. Definitio rei. Reus nihil in iudicio praestare necesse habet, nisi quid excipiat positive, vel fuerit à iudice interrogatus, „—*Quaesita.*—An reus à iudice interrogatus, veritatem fateri teneatur.---An reus innocens possit ad sui defensionem crimina occulta testium vel accusatoris revelare.---An liceat reo innocenti fugere vel resistere.---An etiam reo, qui vere deliquit, fugere liceat.---An reo liceat fugere, etiamsi inde damnum custos sit passurus.

LECTIO 3.^a A.

Art. II. De personis minus principalibus ad forum spectantibus.
§. I. *De his, qui in iudicio interveniunt ad iuvandum iudicem. I. De scribis seu secretariis.* (n. 19) *Definitio scribae.* Ejus obligationes: “Praeter obligationes generales, uti persona publica, tenetur: 1.^o inviolatum secretum servare: 2.^o omnia in tribunali acta fideliter transcribere, „—Quas injustitias scriba committere potest. II.—*De notariis.*—*Definitio notarii.*—Ejus obligationes.--In quibus casibus notarii sunt injusti.—*Quaesita.*—An notarius teneatur ad restitutionem erga fiscum, si in conficiendo instrumento venditionis, postulantis partibus, vel etiam ipso innuente, non verum rei pretium inscribat.--An peccet notarius, qui instrumenta conficit die dominica, vel die festo. III. *De apparitoribus.* (n. 15.)—*Definitio apparitoris.* Ejus obligationes.—Quando injuste se gerunt.—*Quaesita.*—An apparitores ad restitutionem teneantur, si pretium supra taxam lege determinatam titulo donationis acceperint.--An apparitor multiplex

salarium exigere possit, si unica et eadem vice vadimonia diversa deferat.

§. II. *De his, qui in judicio interveniunt ad juvandos litigantes.*

I. *De advocatis* (n. 9.) “Advocatus duplex distinguitur: alius partium, alius societatis seu fisci, qui dicitur advocatus generalis. (Abogado Fiscal.) Ille est, qui litigantibus defensionem praestat voce aut scripto: hic pro juribus societatis respondet, eaque tuere debet. Porro sicut personae privatae, sic et societas sua jura habet; nempe, publica vindicta, et bona aliaque jura, quae ad ipsam pertinent.,—Advocati speciales obligationes.—Aliae erga causam; (II.) aliae erga clientem, (III.) aliae erga partem adversam. (Ibi.)—Quando advocati peccant contra justitiam erga clientem. (R. 1.)—Quando peccant contra justitiam erga partem adversam. (R. 2.)—*Quaesita. Circa justitiam causae.*—An advocati possint defendere causas etiam minus probabiles tum reorum, tum actorum.—Ad quid tenetur advocatus, qui, causa jam peracta, advertit eam esse injustam. (Q. 4.)—Quid si causam injustam scienter prosecutus fuerit. (Ibi.)—Quid si advertens causam esse injustam, monet quidem clientem, sed, eo volente, causam prosequitur.—An, et quomodo peccet advocatus, qui causam justam mediis injustis defendit, v. g. si chirographum novum substituat loco prioris amissi.—*Circa honoraria.*—Ad quid tenetur advocatus ratione honorarii seu stipendii. (Q. 2.)—Ad quid quoad pauperes.—Quid exigere possit advocatus, si postquam de stipendio conventum est, cliens inceptam causam deserat.

II. *De procuratoribus.* “Procurator est ille, qui litigantis mandato et nomine causam gerendam suscipit. Datur quoque procurator generalis seu societatis. (Agente Fiscal.) Obligationes procuratoris. Sunt etiam triplicis classis: aliae erga causam; aliae erga clientem; aliae erga partem adversam. Quando peccat procurator partium. (R. 3.)—Quando peccat procurator generalis. (R. 4.)

III. *De testibus.* (n. 27.) “Testes sunt personae idoneae, quae sive à iudice sive à litigantibus in judicio adhibentur ad fidem adstruendam.,—*Principia.* I. “Tenentur testari: 1.º *ex justitia commutativa*, qui ex officio tenentur accusare, et ideo probare et testari: 2.º *ex justitia legali* quilibet tenetur, cum id necessarium est ad avertendum grave reipublicae damnum. (Nota.) 3.º *ex charitate*, qui possunt suo testimonio innocentem liberare, aut gravem injuriam impedire: 4.º *ex praecepto seu obedientia*, qui legitime et juridice à Superiore est citatus. II. Clerici non possunt esse testes coram iudice laico, nisi habita licentia à proprio Superiore; et quoad causas criminales, praemissa protestatione à Bonifacio VIII. praescripta, se, nempe, id non agere, ut reus poena sanguinis puniatur, sed ad justitiae publicae utilitatem. III. Testis legitime et juridice interrogatus tenetur prodere ea, quae iudex ab eo quaerit, nisi aliud charitas suadeat, et ea solum: et respondere debet

palam, recte, ad mentem interrogantis. Porro judex censetur interrogare *legitime*, si sit judex proprius, et de re interroget, quae materia judicii esse possit; et censetur interrogare *juridice*, si interroget servato ordine juris; nempe, cum adest probatio semiplena, vel infamia, vel indicia manifesta. IV. Testis, qui falsum malitiose deponit, est perjurus, et peccat contra obedientiam; et, si in damnum aliorum mentiatur. justitiam violat, et proinde tenetur ad omnium damnorum reparationem. — *Quaesita*. — Quando testis excusetur à testimonio praestando. (Q. 3.) --- An testis teneatur revelare crimen omnino occultum, v. g, quod ipse solus novit. -- An, et quomodo peccet testis, qui se abscondit, ne citetur à iudice, vel qui post citationem fugit. -- An teneatur ad restitutionem testis, qui legitime interrogatus celet veritatem, non tamen falsum dicat. -- Ad quid tenetur testis, qui falsum dixit ex ignorantia invincibili, vel inadvertentia, aut oblivione inculpabili. (Q. 1.) -- Quid de illo, qui scripturam, chirographam, aut apocham supponit vel adulterat ad supplendos actus perditos, vel ad jus certum persequendum.

LECTIO 4.^a A.

Cap. II. De medicis, chirurgis et pharmacopolis. --- Eorum obligationes sive generales sive speciales exprimuntur in hoc versu:

*Sapiens, diligens, tutus,
Honestus, pius, et silens:*

nempe, *sapiens* in suo officio; *diligens* in auxilio praestando; *tutus* in adhibendis remediis; *honestus* in stipendio; *pius* ad animarum salutem; *silens* in secretis concreditis, --- Quando medici et chirurgi graviter peccare censentur. --- Quando pharmacopolae. --- Quas regulas in curandis infirmis medici servare debent. — *Quaesita*. — An medicus remedia dubiae efficaciae applicare possit, ubi de infirmo desperatur. -- Ad quid specialiter teneatur medicus quoad animam aegrotantis. -- An peccet graviter medicus, qui tempore pestis aegrotos deserit, ne luem contrahat.

LECTIO 5.^a A.

Cap. III. De custodibus, artificibus et opificibus. I. Definitio *custodum*. — Eorum obligationes sunt: 1.^o vigilare, et impedire damna; 2.^o delinquentes denunciare; 3.^o delationem coram iudice sustinere. — Quomodo peccant custodes, qui damna non impediunt. — An custodes semper teneantur delinquentes denunciare. II. — Quae nam sunt obligationes *artificum et opificum*. — Quinam in particulari injustitiae sint arguendi.

PARS II.

DE STATU ECCLESIASTICORUM.

Ecclesiasticorum status duplex distinguitur: unus Clericorum; alius Regularium seu Religiosorum. De singulis seorsim.

SECTIO I.

DE STATU CLERICORUM.

Clerici sunt omnes mares baptizati tonsuram adepti.--Nihilominus Clericorum nomine hic intelligimus praesertim constitutos in sacris, vel aliquod ecclesiasticum beneficium habentes.--Obligationes propriae Clericorum duplicis classis distinguntur: aliae generales seu *communes* omnibus Clericis, quae nempe ex ordinatione et communi ministerio derivantur; aliae vero *particulares*, quae enascuntur ex diverso gradu et officio, quod quis in Ecclesia obtinet.--Agendum est: 1.^o de obligationibus communibus Clericorum: 2.^o de quorundam obligationibus particularibus.

CAPUT. I.

De obligationibus communibus Clericorum.

Obligationes omnibus Clericis communes sunt duplicis generis: aliae *positivae*, quae habent pro objecto, quae facienda sunt; aliae *negativae*, quae praescribunt ea, quae sunt vitanda. De singulis.

LECTIO 6.^a A.

Art. I. De obligationibus positivis Clericorum. Quot dantur obligationes Clericorum positivae. §. I. *De vitae sanctitate.--Principia.* I. Omnium Clericorum praecipua obligatio haec est: perfectior vita, sive interior, sive exterior. Probatur: 1.^o ex natura status clericalis: 2.^o ex Scriptura: 3.^o ex Patribus: 4.^o ex Conciliis.--II. Perfectio, ad quam Clerici tenentur, sita est: 1.^o in peccatorum etiam venialium fuga: 2.^o in exercitio omnium virtutum, praesertim castitatis, humilitatis, et charitatis erga Deum et erga proximum. III. Media ad perfectionem vitae in Clerico praecipua sunt: 1.^o quotidiana lectio spiritualis: 2.^o jugis oratio, tum vocalis, tum mentalis: 3.^o quotidianum conscientiae examen: 4.^o custodia cordis et sensuum per

cogitationem praesentiae Dei: 5.^o Sacramentorum frequentia: 6.^o exercitia spiritualia, saltem semel in anno: 7.^o fervens devotio in Beatam Virginem Mariam. En versus:

*Sancta legas, ora, recolens tua facta labora,
Sit Deus ob mentem, videat te ad Sacra frequentem,
Sedulus secedas ad pia, sit corde Maria.*

§. II. *De caelibatu.* Caelibatus est: *Lex continentiae perpetuae ab Ecclesia sacris ministris imposita.*—*Principia.* I. In Ecclesia latina omnes Clerici, sacros Ordines suscipientes, ipso facto tenentur sub gravissimo praecepto servare perpetuam continentiam, ita ut, neque licite uti possint matrimonio contracto ante ordinationem, neque licite neque valide postea illud contrahere. Constat: 1.^o ex Corpore Juris: 2.^o ex Concilio Tridentino: 3.^o ex Const. *Apostolicae Sedis*, ubi excommunicantur Clerici matrimonium contrahere *praesumentes*. II. In orientali Ecclesia sacerdotes quidem (Q. 3.) III. Lex ecclesiastica caelibatus duo praecipit, nempe, tum ut clerici servent castitatem, tum ut castitatem ex voto profiteantur. (Q. 2. Nota.) *Quaesita.*—An obligatio caelibatus, *praecisive á voto* sit de jure divino.—An teneretur ad castitatem, qui expresse nollet castitatem vovere.—An, vel quando conjugatus, vivente uxore, sacros Ordines suscipere valeat.—An uxor, quae vovit castitatem extra Religionem post viri ordinationem, possit, eo defuncto, valide matrimonium contrahere.

§. III. *De gestatione habitus et tonsurae.* *Principia.* I. Ex praecepto Tridentini Clerici, *qui aut in sacris fuerint, aut beneficia ecclesiastica obtinuerint*, obligantur ad ferendam tonsuram et habitum clericalem seu ecclesiasticum. II. Habitus clericalis ex eodem Concilio sunt *vestes proprio ordini congruentes*, vel etiam *habitus honestus illorum ordini et dignitati congruens* *justa ipsius Episcopi ordinationem et mandatum.* At Sixtus V. et Benedictus XIII. Const. *Catholicae Ecclesiae* usum vestis talaris in functionum ministerio praescripserunt; unde nemo eam mutare potest praeter R. Pontificem. III. Etiam extra functiones sacras proprius ecclesiasticorum habitus censetur vestis talaris coloris nigri cum decenti collari linea taenia obducto vel diviso, addito in sacris functionibus superpelliceo. IV. Tonsura praescribitur in Corpore Juris, ubi dicitur: *Coronam et tonsuram habeant (Clerici) congruentem.* (c. Clericis. 15. De Vita et honest. Clericorum.)—*Quaesita.*—An peccent graviter Clerici non deferentes habitum—An etiam Clerici in sacris non constituti teneantur sub gravi vel sub levi ad habitum clericalem deferendum.—An peccent graviter Clerici non deferentes tonsuram seu coronam.

LECTIO 7.^a A.

§. IV. *De recitatione Horarum canonicarum seu divini Officii.*

—Quid sunt *Horae canonicae*.—Quibus aliis nominibus dici solent. —A quo divinum Officium seu *Horae canonicae* institutae perhibentur.—Quid de earum forma et quantitate.—Quot sunt *Horae canonicae*, seu partes Officii divini; et quaenam ipsarum divisio. “*Horae canonicae* aliae dicuntur *majores*, aliae *minores*. *Horae majores* sunt Matutinum cum Laudibus et Vesperae; ceterae *minores*.”—Haec puncta dispicienda sunt: 1.^o *quis*, seu quinam obligantur ad recitationem Officii: 2.^o *quid*, seu quantum et quale recitare debent: 3.^o *quando*, seu quo tempore: 4.^o *ubi*, seu quo loco et situ: 5.^o *quomodo*: 6.^o *quorsum*, seu quae causae à recitatione excusant.

Punct. I.—QUIS.—*Principia*. I. Quinam obligantur ad Horas canonicas seu Officium divinum recitandum. II. “Qui habent beneficium ecclesiasticum, tenentur ad recitationem Officii etiam sub poena, ut fructus beneficii non faciant suos, elapsis sex primis mensibus à beneficii possessione: unde beneficiatus non recitans *culpabiliter et in materia gravi*, praeter reatum peccati, tenetur ad restitutionem pro rata omissionis, etiam ante sententiam iudicis. Restitutio vero fieri debet in fabricam ipsorum beneficiorum, vel in eleemosynas pauperum.—*Quaeres*.—An Religiosi, qui justa de causa choro non interveniunt, teneantur Officium privatim recitare.

Punct. II. QUID. (quantum et quale).—*Principia*. I. Omnes obligati ad Officium divinum, tenentur sub gravi recitare singulis diebus integrum Officium, seu omnes Horas canonicas. Ad integritatem Officii pertinent *Pater, Ave, Credo* in principio et fine Horarum, prout in Rubricis adnotatur: non tamen orationes *Aperi*, et *Sacro-sanctae*, quae solum ex consilio recitantur. (n. 81.)—II. Ex jure communi solo Brebiario Romano à S. Pio V. reformato utendum est. (Q. 8.) III. Qui tenentur ad Brebium Romanum, tenentur pariter ad Romanum Kalendarium, seu ad ea Officia, quae in eodem Brebiario praeceptiva sunt, et justa formam in illo praescriptam. IV. Praeter officia ista, quae omnibus communia sunt, dantur alia, quae singulae dioceses, et quilibet Religiosus Ordo, et etiam unaquaeque Ecclesia tenentur recitare juxta Rubricarum regulas, et generalia Sacrae Rituum Congregationis, vel quae eisdem dioccesibus, Ordinibus seu Ecclesiis ex speciali privilegio Sedis Apostolicae concessa fuerunt. (Q. 11.)—V. Kalendarium dicitur distributio Officiorum intra annum per menses et dies cum indicatione, tum Officii, tum ritus. Officia vel sunt *de festo*, vel *de dominica*, vel *de feria*. Ritus Officiorum vel est *duplex*, vel *semiduplex*, vel *simplex*; quae omnia sub praecepto veniunt.—*Quaesita*.—*Circa* I. An oratio dicenda sit post Matutinum, quando Laudes separan-

tur. (n. 89. Q. 11.)--An ante Laudes à Matutino separatas dicendum sit *Pater et Ave.* (Ibi.)--An in recitatione Officii liceat aliquid ex devotione miscere vel apponere. (n. 87. Q. 7.)—Quaenam sit materia gravis in omissione Officii.---An sit grave omittere Vesperas in Sabbato sancto.---An unum vel multiplex peccatum committat, qui omittit integrum Officium.--An si quis dubitet utrum omiserit aliquid in Officio, teneatur id repetere.---An detur adhuc obligatio recitandi Psalmos Graduales, Officium Parvum B. M. V. et Officium defunctorum. (Q. 12.)--An obligati ad Officium, sub gravi recitare debeant Officium defunctorum in die Commemorationis omnium defunctorum, necnon Litanias in festo S. Marci, et triduo Rogationum. (Q. 14.) *Circa II.*—An qui non utitur Brebiario Romano, satisfaciat muneri suo. (Q. 8.)—Quid sentiendum de his, qui recitant aliud Brebium ex consuetudine loci servatum.--An Sacerdos licentia Episcopi indigeat ad Brebium Romanum recitandum in locis, ubi aliud toleratur.

Punct. III. QUANDO. (quo tempore.) In recitatione Officii divini assignatur tempus pro toto Officio, et pro qualibet Hora recitanda. *Principia. I.* Quod tempus praefinitum est ad integram Officii recitationem.—Quando Matutinum et Laudes recitari possunt.—Quid quoad Sacerdotes celebrantes. *II.* Obligatio recitandi Horas est affixa diei, ita ut nullatenus alia die ipsi satisfieri possit. *III.* Quod tempus est assignatum singulis Horis recitandis.—Quando olim recitabantur. *Quaesita.—Circa. I.* An obligatio recitandi Matutinum et Laudes ante Missam urgeat sub gravi.—Quae causa ab illa obligatione excusare possit.—Quanam hora liceat incipere recitationem Matutini vespere diei praecedentis, juxta privilegium supra relatam.--An debeat iterari recitatio Matutini, si ante tempus praedictum habita fuerit.--An Matutinum Officii defunctorum pridie vespere recitari possit.--An Litaniae pro festo S. Marci ac diebus Rogationum.--An praevidens impedimentum recitandi Officium ipsa die obligationis, teneatur recitare Matutinum et Laudes vespere vigiliae. *Circa II.* An Horae parvae etiam ante auroram absque ulla causa recitari possint. (Q. 1.)--Qua hora incipi possit recitatio Vesperarum mane tempore Quadragesimae. (Q. 8.)

Punct. IV. UBI: (quo loco et situ corporis.) *Principia. I.* Quo loco divinum Officium debet recitari. *II.* Quo situ corporis.—*Quaesita. Circa I.*--An peccet graviter Religiosus, qui Officium recitat privatim, dum facile choro interesse possit. (n. 55.)--An obligati ad chorum teneantur supplere ea, quae omittunt ob functiones chori, v. g. pulsando organa, aut Psalmos perquirendo, et similia. (Ibi. Q. 7.)—An sit peccatum Brebium recitare in loco indecenti. (Q. 4.) *Circa. II.*--An liceat recitare Officium decumbendo in lecto.--An in curru vel equo.--An sit culpa non servare

rubricam, ex qua preces quaedam genibus flexis sunt recitandae.

Punct. V. QUOMODO.—Quomodo Horae canonicae sint recitandae.—*I. Quoad ordinem. Principium.* Quotnplex ordo servandus est in Brebiarii recitatione.—Qualis sit ordo Officiorum.—Qualis sit ordo Horarum.—*Quaesita. Circa ordinem Officiorum.* An praeepto satisfaciat, qui ex errore vel inadvertentia aliud Officium pro Officio diei recitat.—An qui ex errore recitavit aliquam partem tantum Officii indebiti, possit, detecto errore, proseguere inceptum Officium, vel teneatur recitare reliqua de Officio diei.—An cum jam dixeris unum Officium pro altero, possis Officium omissum recitare die, qua occurret Officium jam à te recitatum.—An, vel quomodo peccet, qui *scienter* aliud Officium pro Officio diei recitat. *Circa ordinem Horarum.*—Quale sit peccatum ordinem invertere in recitatione Horarum.—Quaenam sit causa Horarum ordinem invertendi.—An sit peccatum dicere Matutinum diei sequentis ante absolutum Officium diei praesentis.—An peccet, qui non recitat commemorationes juxta ordinem per rubricam assignatum.

II. Quoad pronuntiationem.—Principium. “Pronuntiatio debet esse vocalis, integra, continuata. *Vocalis*, ita ut verba pronuntientur voce, et quidem distincta *Integra*, ita ut verba omnia integre pronuntientur; nec satis est, si recitetur syncopando, linguave titubante abbreviando. *Continuata*, ita ut unaquaeque Hora recitetur per modum unius, vel sine interruptione.”—*Quaesita.—Circa vocalem.* An recitans Officium debeat se audire, ut satisfaciat.—Ad quid teneatur ratione pronuntiationis recitans Horas cum socio, vel cum choro. (Q. 8.)—An satisfacias, si recites cum laico, vel alio non obligato aut distracto.—*Circa integram.*—An tenearis repetere, quae recitasti cum imperfecta, seu mutilata pronuntiatione. (Q. 10.) *Circa continuatam.*—Quaenam sint causae justae Officium interrumpendi. (Q. 2.)—An Matutinum separari possit à Laudibus.—An Nocturni separari possint sine causa.—An, vel quomodo peccet, qui recitato uno vel altero Nocturno in vigilia, reliquam Matutini partem tota nocte interjecta recitat.—An, vel quatenus repetenda sit aliqua Hora propter notabilem interruptionem interpositam.

III. Quoad intentionem et devotionem. “Officium divinum recitare est actus humanus, et actus religionis. Qua *actus humanus*, requirit intentionem seu voluntatem orandi. Qua *actus religionis*, requirit devotionem, seu attentionem religiosam. Quotuplex distinguitur *intentio*.—Quotuplex distinguitur *attentio*.—In quo consistat *attentio interna*.—Quid est *attentio externa*.—Quotuplex *attentio interna* distinguitur.—*Principia.—Circa intentionem.* I. In recitatione Officii certo requiritur intentio saltem generalis orandi seu laudandi Deum: unde qui eruditionis causa Psalmos et alia legit, non satisfacit; quia talis lectio non est oratio. II. Non requiritur necessario *intentio actualis*; sed sufficit *virtualis*. Neque requiritur, ut intentio

orandi sit *explicita*; sed satis est, ut sit *implicita*, quae habetur, cum quis vult recitare Horas juxta Ecclesiae praeceptum. *Circa attentionem*. III.—Certum est requiri attentionem saltem *externam*; qui enim dum orat, in aliis se occupat cum oratione incompossibilibus, Deum potius illudere, quam exorare censetur. IV. Certum est sufficere quamlibet attentionem *internam*, sive *materialem*, sive *litteralem*, sive *spiritualem*; quia per quamlibet earum sufficienter applicatur mens ad laudandum Deum, quod per Officium divinum intenditur. (Q. 3.) *Quaesita*.—An aliqua attentio interna necessario requiratur. (Q. 2.—An peccet voluntarie distractus.—Quae distractiones voluntariae censentur. (n. 90.)—Quaenam sint remedia ad distractiones repellendas. (Q. 4.)

Punct. VI. QUORSUM: (quae causae à recitatione excusant).—An dentur causae à recitatione divini Officii excusantes, et quae. I. *Impossibilitas*.—Quinam excusantur ratione impossibilitatis *physicae*. (R. 1.)—Quinam ratione impossibilitatis *moralis*. (2. 3. 4.)—II. *Charitas erga proximum*.—Quando censetur charitatem erga proximum à recitatione Officii excusare. “Quando urget *gravis et repentina* occupatio, quae praeveniri non potuit, et sine scandalo aut notabili proximi detrimento omitti nequeat.”—Quinam excusantur ratione *charitatis*. (1. 2. 3, 4.)—III. *Dispensatio legitima*.—Quis potest dispensare à lege recitationis Horarum.—An, vel quando Episcopus dispensare valeat.—*Quaesita. Circa impossibilitatem*. Quid agendum in dubio, an infirmitas sufficiat ad excusandum, necne.—Ad quid teneatur infirmus, si certus sit se integrum Officium persolvere non posse, dubitet vero, an partem recitare valeat.—An utcumque impeditus à recitando Officio integro, teneatur ad partem, quam recitare potest.—An tenearis ad Psalmos recitandos, si hos tantum prae manibus habeas, vel scias memoriter, relictis Lectionibus cum Responsoriis—An tenearis socium adhibere, si non valeas solus Horas recitare.—An tenearis adhibere socium, stipendio soluto, si alium commode non invenias.

ARTICULUS II.

De obligationibus negativis.

Generatim prohibentur Clericis omnia munia et facta, quae statum ecclesiasticum dedecent, uti ars macellaria, tabernaria..... Maxime vero illis prohibentur haec: 1.º habitatio et familiaritas cum mulieribus: 2.º ludus aleatorius: 3.º gestatio armorum, et venatio: 4.º negotiatio. De his seorsim.

LECTIO 8.^a A.

§. I. *De habitatione, et familiaritate cum mulieribus.*—Quid ex jure communi circa cohabitationem.—Quid de jure particulari. “Apud nos ita:,” Ordenamos y mandamos que ningun Clérigo de este nuestro Obispado se sirva de criada alguna. ni tenga en su casa muger alguna sospechosas ó infamadas, (juvenis extranea eo ipso suspecta est,) bajo las penas establecidas por derecho....Item, que se abstengan de acompañar à muger alguna, ni menos llevarla del brazo, ú otras indecencias semejantes., (*Sinodal lib. 3. tit. I.*)—Quaenam est ratio praecepti.--An eadem ratio militet pro vitanda familiaritate.

§. II. *De ludo alearum.*—Qui ludus dicitur alearum.—Quid ex jure communi circa ludum.—Quid de jure particulari. “Apud nos ita: “Mandamos à dichos Clèrigos de cualquiera dignidad que sean, se abstengan de todo juego prohibido, y aun de los permitidos, que no sean moderados por via de recreacion, y en lugares decentes;...de comer ó beber en taberna ó bodegon, no yendo de camino, ni jugar en ella., (Ibi.)--An quilibet chartarum ludus censeatur aleatorius.—Quid in ludo, etiam non illicito, Clerici cavere debent.

§. III. *De gestatione armorum et venatione.*—Quid ex jure communi circa gestationem armorum.—Quid de jure particulari. “Apud nos ita:,” “Mandamos que se abstengan de usar de armas, si no es que sea yendo de camino, y esto de las permitidas para su defensa., (Ibi.)--An Clerici possint militiam amplecti.—Quid in jure circa venationem.--An prohibita sit sub peccato gravi.

§. IV. *De negotiatione.* “Negotiatio triplex distinguitur: *Lucrativa*, quae tunc obtinet, cum aliquid emitur, ut illud idem non mutatum vendendo, lucretur. Haec dicitur negotiatio propria. *Aeconomica*, qua emuntur necessaria ad sustentationem, et superflua venduntur. *Artificialis*, qua aliquid émitur, ut per industriam mutatum vendatur, uti qui emit colores, et vendit picturas, vel ligna, ut vendat mobilia.,—Quid ex jure communi circa negotiationem.—Quid de jure particulari. “Apud nos ita: “Mandamos que se abstengan de todo tráfico y comercio lucrativo por sí, y por otro; de ser mayordomos de señores, servirles á la mesa ó mano, ó en otros oficios y cosas humildes., (Ibi.) An in hac prohibitione contineatur non solum negotiatio lucrativa, sed etiam aeconomica et artificialis.

CAPUT II.

De obligationibus particularibus Clericorum.

(in tres articulos divisum.)

De obligationibus 1.^o Episcoporum: 2.^o Parochorum: 3.^o Canonicorum.

LECTIO. 9.^a A.

Art. I. De obligationibus Episcoporum. “Vox *Episcopus* idem significat ac *superintendens*. Definitur: Persona ecclesiastica in supremo gradu divinae hierarchiae constituta, quae sub regimine R. Pontificis jus habet et munus pascendi et gubernandi nomine proprio quamdam Ecclesiae portionem, quae dicitur dioecesis.— Quibus aliis nominibus insigniri solet.— Quot sunt praecipuae Episcoporum obligationes. *I.*— *Quoad residentiam*.— Ad quid tenentur Episcopi ratione *residentiae*.— Quae dantur causae *graves* à perpetua et continua residentia Episcopos excusantes.— An extra hos casus possint Episcopi abesse, et per quantum temporis. *II.* *Quoad praedicationem*.— An Episcopi teneantur verbum Dei praedicare. *III.* *Quoad orationem et Sacrificium*.— Ad quid tenentur Episcopi ratione *orationis*.— Quando sacrificium Missae pro dioecesi universa offerre et applicare debent. *IV.* *Quoad visitationem*.— An, et quando Episcopi obligantur ad universam dioecesim visitandam.— Quid si dioecesim integram neque quotannis neque altero quoque anno perlustrare possint.

LECTIO 10. A.

Art. II. De obligationibus Parochorum. “Parochus dicitur Clericus, qui sub regimine Episcopi vel Ordinarii jus habet et munus pascendi et regendi nomine proprio et per modum stabilis officii quamdam dioeceseos portionem, quae dicitur parochia. Ex quo infertur: 1.^o Parochum, semel canonice constitutum, ordinaria gaudere jurisdictione in populum sibi commisum.... 2.^o nullum Clericum, dempto Episcopo, et ejus Vicario generali.... Quot sunt praecipuae obligationes Parochorum. *I.* *Quoad residentiam*. “Residentia definitur permanentia stabilis et continua Clerici in loco sui beneficii. Duplex distinguitur: *materialis*, seu corpore; et *formalis*, seu opere et labore,,.— An Parochus teneatur ad residentiam, tum materialem, tum formalem.— Ad quid tenetur ratione *residentiae materialis*.— Ad quid tenetur ratione *residentiae formalis*.— An

Parochus possit aliquando abesse. “Potest: 1.^o *per bimestre* quottannis, his positis: justa causa; venia ab Ordinario obtenta, et relicto Vicario idoneo ab Episcopo approbato: 2.^o *ultra bimestre*, si causa justa fuerit *gravis*. Porro causae *graves* censentur ex jure tantum sequentes: *charitas christiana, necessitas urgens, obedientia debita, et bonum evidens Ecclesiae*, uti dictum est de Episcopis, „—An venia Ordinarii sit necessaria, si Parochus per hebdomadam abesse velit.—Quid si per unum vel alterum diem. *II. Quoad orationem et sacrificium*.—Quando Parochus tenetur pro populo Sacrificium offerre et applicare.—Ad quid tenetur ratione *orationis*. *III. Quoad praedicationem, et Catechismum*.—Quibus diebus Parochi tenentur ad populum verba facere.—Quando peccant graviter, si abstineant à praedicatione.—Qualis debeat esse praedictio parochialis. “Ad mentem Tridentini debet esse: 1.^o viribus Parochi proportionata: 2.^o acomodata capacitati ovium. 3.^o brevis et facilis, „—Quid de praedicationis materia. “Ad mentem Concilii materia praedicationis debet esse ea, quae scire omnibus necessaria sunt ad salutem; vitia; quae declinare, et virtutes, quas sectari oportet. (Nota.)—An satisfaciat Parochus, qui sermones praedicat multa ac subtili elegantia elaboratos.—An qui praedicat, nulla adhibita praeparatione.—An qui pios libros auditoribus legit.—An praeter praedicationem parochialem, Parochus diebus dominicis et festis catechismum explicare debeat. “Ita Benedictus XIV. Const. *Etsi minime*. an. 1742. *Duo potissimum onera à Tridentina Synodo curatoribus animarum sunt imposita: alterum, ut festis diebus de rebus divinis sermonem ad populum habeant; alterum, ut pueros et rudiores quosque divinae legis fideique rudimentis informet*, „—Quid de jure particulari. “Apud nos ita: „ Mandamos bajo de precepto formal de santa obediencia á los Curas de los lugares agregados, que á las dos de la tarde en invierno, y á las cuatro en verano en todos los domingos del año, y en la Cuaresma en estos y otros dos dias de cada semana, y á la hora que juzgen mas oportuna, convoquen con la respectiva señal de campana, y procuren juntar en la iglesia á todos los párvulos de ambos sexos de seis á catorce años, y asi juntos, les hagan las preguntas del Catecismo por sus mismas personas, no estando legitimamente ocupados, y estándolo, por las de sus Tenientes ú otras de su mayor satisfaccion, y se las espliquen hasta que perfectamente sepan y entiendan dicho Catecismo, de manera que puedan dar razon oportuna de cuanto en él se contiene; gastando en este ejercicio aquel tiempo, que la prudencia de cada uno tenga por bastante, á fin de que se logre la instruccion, que es el mas principal de los de un Párroco, y que debe solicitar con el mayor esmero. Y á los Curas de aquellas parroquias, cuyos feligreses estan dispersos, les mandamos en la misma conformidad que tengan dicho ejercicio en los espresados dias y tiempo antes

de la Misa mayor ó popular, ó en otra hora que tal vez alguuo tenga por mas oportuna al efecto. Y mandamos á unos y á otros que procuren prevenir á los padres de familia y maestros de niños, que como tan interesados en ello, lleven ó hagan llevar, é ir á los respectivos de su cargo á dicha explicacion, como así se lo rogamos *in visceribus Jesu-Christi. (Tit. XIII.)—Quoad correctionem et vigilantiam.* “Nomine *correctionis* hic intelligitur onus Parocho incumbens admonendi subditos in peccato mortali existentes, ut resipiscant. *Vigilantia* dicitur cura Parochi arcendi seu impediendi quamlibet spiritualem ovium sibi commissarum ruinam et earum profectum spiritualem sollicite promovendi. An, vel quando Parochus teneatur suos subditos corrigere.—An debeat etiam oves suas vigilare, et quomodo. V. *Quoad administrationem Sacramentorum.* “*Per Sacramenta*, inquit Tridentinum, *omnis vera justitia vel incipit, vel augetur, vel amissa reparatur.* Unde Parochi tenentur Sacramenta ministrare: 1.º quando oves tenentur ex praecepto illa suscipere: 2.º quoties illa petunt rationabiliter, nempe, pro sua spirituali necessitate aut utilitate., An Parochi debeant Sacramenta per se ipsos administrare. VI. *Quoad visitationem aegrotorum et parochiae.* “Ad aegrotos quod attinet, Parochus ex Rituali Romano haec praestare debet: 1.º Ut hortetur suos parochianos, ut ipsum moneant, cum aliquem in parochia aegrotare contingat: 2.º Ut etiam non accersitus infirmum adeat, maxime si pauperem, vel parum suae animae sollicitum: 3.º Ut non semel, sed crebro eum invisat, consoletur, et elemosynis recreet: 4.º Ut tempestive illum Sacramentis munire, ceterisque officiis juvare curet: 5.º Ut ingravescente morbo eum non derelinquat: 6.º Ut in mortis articulo ei praesto sit. Denique Parochus, ut officiis suis omnibus satisfacere possit, necesse habet *oves suas agnoscere.* Et ex hoc capite tenetur: 1.º singulas paroeciae suae familias certis temporibus visitare, ut uniuscujusque ingenium, instructionem et mores animadvertat: 2.º librum conficere status animarum; et praeterea libros baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum et defunctorum.

LECTIO 11. A.

Art III. De obligationibus Canonorum. “*Canonici proprie dicti* sunt illi soli Clerici, qui Capitulum Cathedrale et Senatum Episcopi constituunt. Ad hoc requiritur, ut praebendam Canonicalem habeant, et gaudeant jure suffragii. *Minus proprie* dicuntur Canonici, qui in alia, quam in Cathedrali Ecclesia collegium aliquod efformant; et ideo vocantur Cononici Collegiales, et eorum Ecclesia *Collegiata.* Denique *latiori quodam sensu* intelliguntur Canonici omnes, qui in Ecclesiis, sive Cathedralibus, sive Collegiatis choro sunt obstricti,

quocumque nomine vocentur, Canonici, Beneficiati, Capellani, etc. Porro omnes hi tenentur: 1.^o ad residentiam: 2.^o ad Officium chori: 3.^o ad Missam conventualem. Canonici vero *Cathedrales* tenentur insuper ad quaedam munera tum Sede plena, tum vacante. De singulis. §. *I. Quoad residentiam.* “Residentia materialis Canoniorum haec est, ut in ea civitate vel oppido, ubi extat Ecclesia commorentur., *Principia. I.* An Canonici teneantur ad residentiam materialem et per quod tempus possint abesse. *II.* An vacationes trium mensium ita intelligi debeant, ut omnes Canonici simul abesse possint. *Quaesita.*—An, uti Parochi, ita Canonici indigeant licentia Episcopi, et causa justa.—An teneantur aliquem idoneum sibi substituere. (Q. 2.)—An vacationes sumere possint quolibet anni tempore.—An Episcopus possit longiorem absentiam permittere. §. *II. Quoad officium chori.* “Residentia formalis Canoniorum haec est, ut divinum Officium persolvant in Ecclesia quisque sua, in choro, suo habitu, suo tempore, integrum. Constat autem hoc Officium Horis Canonicis et Missa Conventuali., *Principia. I.*—Ad quid tenentur Canonici ratione Officii divini. *II.* An, vel quando Canonici absentes á choro, vel non psallentes, graviter peccant.—*Quaesita.*—An Episcopus permittere possit, ut non omnes Horae cantentur.—An Officium Defunctorum, B. Mariae V., et Psalmi Graduales debeant ex obligatione recitari in choro. §. *III. Quoad Missam Conventualem. Principia. I.* Ad quid tenentur Canonici ratione Missae Conventualis. *II.* An, et quando Missa Conventualis applicari debeat.

Hactenus de Canonicis lato sensu: nunc de Canonicis Cathedralium. *IV. Quoad munera Canoniorum, Sede plena.* “Canonici Cathedralis, Sede plena, debent Episcopo, praeter honorem ipsius dignitati parem: 1.^o assistentiam: 2.^o associationem: 3.^o auxilium verbo et opere., *Principia. I.*—Ad quid tenentur Canonici ratione *assistentiae* Episcopo debitae. (n. 1.) Quid si Episcopus privatim celebret. (Ibi.) *II.*—Ad quid tenentur ratione *associationis*. (n. 1.) *III.* “Nomine *auxilii* intelligimus *consilium*, quod Episcopus de jure communi tenetur in pluribus á Capitulo requirere. (n. 2.)—An Episcopus indigeat aliquando *consensu* Capituli.—An illo indigeat ad hoc, ut novas leges seu mandata ferat. (Ibi.) *V. Quoad munera Capituli, Sede vacante.* “Sedes Episcopalis vacat proprie, quando Episcopus: 1.^o moritur: 2.^o vel in aliam Sedem transfertur: 3.^o vel ipse renuntiat; 4.^o vel á Papa deponitur; 5.^o vel fit haereticus notorius., *Principia. I.* Certum est, Sede vacante, jus administrandi dioecesim devolvi ad Capitulum Cathedrale. (n. 1.) *II.*—An capitulum possit per se ipsum jurisdictionem exercere. (n. 2.) *III.*—An Vicario Capitulari electo, (uno tantum,) possit Capitulum aliquam jurisdictionis partem penes se retinere, vel facultates electi aliquo sensu limitare. (n. 3.) *IV.* “Praeter Vicarium Capitularem, qui jurisdictionem ordinariam Episcopalem in universa dioecesi exercent,

tenetur Capitulum deputare Aeconomum, qui tempore vacationis bona mensae Episcopalis administret., *Quaesita.*—Quandiu durat potestas Vicarii Capitularis. (n. 4.)—An omnes Episcopi facultates ipsi tribuantur. “Ad haec, praesentatus seu nominatus á Gubernio ad Episcopatum vacantem, non potest ante confirmationem R. Pontificis dioeceseos administrationem suscipere, neque in Vicarium Capitularem eligi. Et hoc sub gravissimis poenis, de quibus infra.,”

LECTIO. 12. A.

APPENDIX I. *De privilegiis Clericorum.* 1.º de privilegiis Clericorum in communi: 2.º de privilegiis Episcoporum. *Art. I. De privilegiis Clericorum in communi.* “Privilegia praecipua in Jure Canonico omnibus Clericis constituta, sunt 1.º privilegium *immunitatis*; 2.º privilegium *fori*; 3.º privilegium *Canonis*. I. Privilegium *immunitatis* triplex distinguitur: *personalis*, *realis*, et *localis*. *Immunitas personalis* est exemptio personae ecclesiasticae seu Clerici á personalibus oneribus, quae componi non possunt cum sanctitate et officio clericali, sive ea sint onerosa sive honorifica. Hujusmodi sunt servitium militare, officium Jurati, capitis census seu tributum, quod personis civilibus imponitur, et similia. *Immunitas realis* est exemptio bonorum tum Ecclesiae tum Clericorum á tributis et oneribus in civili societate impositis. Denique *immunitas localis* est jus locis sacris concessum, ut ibi existentes vel eo confugientes tuti fiant á potestate laicali; et dicitur *jus asyli*. II. Privilegium *fori* in eo consistit, ut Clerici non nisi in tribunali ecclesiastico citari et judicari possint. Verum duo haec privilegia *immunitatis* et *fori*, quoad plura et fere omnia, á civili potestate non agnoscuntur. III. Privilegium *Canonis*, quod exstat, est privilegium, vi cujus excommunicationem R. Pontifici reservatam incurrunt omnes, qui *suadente diabolo*, (culpabiliter) *in Clericum vel Monachum violentas manus*, (injuriam aliquam gravem) *injecerint*. Quinam fruuntur hoc privilegio *Canonis*.
Art. III De privilegiis Episcoporum. “Privilegia potiora Episcopis constituta sive á jure sive á consuetudine, respiciunt: 1.º censuras et irregularitates: 2.º impedimenta matrimonii: 3.º vota et juramenta: 4.º dispensationes á lege communi: 5.º horam celebrationis Missae: 6.º electionem proprii Confessarii: 7.º interstitia ad Ordines. Verum. de his fusius et commodius suis locis, ubi de objecto privilegii.

LECTIO 13. A.

APPENDIX. II. *De Beneficiis ecclesiasticis seu Clericorum.*—*Art. I. De natura beneficiorum.*—Quid est beneficium. “Unde ad

beneficium requiruntur: 1.º bona fructifera, et quidem ecclesiastica seu sub potestate Ecclesiae constituta: 2.º officium seu ministerium spirituale: 3.º jus percipiendi fructus ex hujusmodi bonis propter officium hujusmodi. 4.º ut hoc jus sit auctoritate ecclesiastica constitutum et ab Ecclesia conferatur; et quidem viro Ecclesiastico seu clerico; propter officium; et in perpetuum, seu ad vitam beneficiati. Quare beneficia proprie dicta non sunt: 1.º *Ex defectu bonorum aut reddituum*, Canonicatus honorarii. 2.º *Ex defectu officii seu ministerii*, pensiones clericales et praestimonia, quae vocant. 3.º *Ex defectu juris perpetui*, vicariae curatae ad nutum amovibiles, et capellaniae manuales: 4.º *Ex defectu institutionis ecclesiasticae*, legata Pia; quae idcirco laicale, non spirituale aliquid sunt,--An pensio quae à Gubernio solvitur Canonicis et Parochis, uti beneficium ecclesiasticum spectanda sit.—Quomodo distinguuntur beneficia. “*Ratione officii*, dicuntur *majora*, illa, quibus inest jurisdictio externa et interna, uti Episcopatus; et *minora*, quae externa jurisdictione sunt destituta. Beneficia minora distinguuntur: 1.º in *duplicia et simplicia*. 2.º *residentialia et non residentialia*. *Ratione modi, quo conferuntur*, alia sunt *libera*, seu *collativa*, seu *liberae collationis*, quae collator pro suo arbitrio confert cui mavult; alia sunt *patronata*, seu *juris patronatus*, quae nempe collator confert praesentatis à patrono; alia denique *electiva*, quae conferuntur à Capitulo vel congregatione per electionem à Superiore confirmandam.

Art. II. De collatione et acquisitione beneficiorum.—Quotuplici modo beneficia conferri et acquiri solent.--Electio proprie dicta est: *Assumptio facta communibus suffragiis personae idoneae ad ecclesiasticum beneficium vacans.*--Jus patronatus definitur: *Facultas praesentandi idoneum Clericum ad beneficium vacans occupandum.* Libera collatio est: *Spontanea concessio beneficii vacantis facta à legitimo Superiore.*—Quotuplex distinguitur jus patronatus. “*Ecclesiasticum, laicale, et mixtum.* Jus patronatus *ecclesiasticum et laicale* in hoc differunt, quod patronis ecclesiasticis dantur sex menses ad praesentandum, laicis vero quatuor. Patronatus conceditur his, qui Ecclesiam dotaverint, vel construxerint, vel aream construendae concesserint: unde illud, *Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus*,--*Principia. I.* Nullum beneficium ecclesiasticum, etiam electivum vel patronatus, licite obtineri potest sine institutione canonica; quae definitur: *Concessio beneficii facta à Superiore legitimo.* Ratio est, quia tum electio, tum praesentatio solum dant jus *ad beneficium*, si tamen persona idonea reperiatur. *II.* Institutio canonica est duplex: alia *collativa* seu *verbalis*; et alia *corporalis* seu *realis*. Prima scilicet, *collativa* datur titulus, et cum titulo jus *in re*: altera, nempe, *corporali* datur possessio, per quam acquiritur in beneficio *quies*; et ex tunc beneficiatus et onera sua cogitur agnoscere, et suis juribus uti permittitur. *III.* In qualibet dioecesi institutio canonica

ca omnium beneficiorum pertinet ad Episcopum; his tamen exceptis, quae Papa sibi aliquo jure reservaverit. (n. 128.)

Art. III. De promovendis ad beneficia. (n. 129.) “Cum beneficia ecclesiastica sint ecclesiastica ministeria, merito concedenda non sunt, nisi personis idoneis et dignis. *Idoneus* dicitur ille, qui habet conditiones seu qualitates à jure requisitas ad validam beneficii consecutionem, uti sunt aetas, legitimitas, caelibatus, et clericatus; qui vero aliqua ex eis caret, *non idoneus seu inhabilis* censetur. *Dignus* ille est, qui praeter idoneitatem requisitam, aptitudinem habet ad implenda munera beneficio adnexa, ad quod requiruntur praecipue scientia et probitas. Quod si aptior et utilior ceteris sit, *dignior* vocatur; si autem inutilis et ineptus, *indignus*„.—*Principia.*
I. “Collatio beneficii ecclesiastici facta personae *non idoneae* seu inhabili, irrita est ipso jure. *II.* Collatio beneficii facta personae *indignae*, licet idoneae, est graviter illicita; at *probabilius* valet, donec à judice irritetur„.—*Quaesita.*—An sit obligatio digniores ad beneficium eligendi.—Quomodo major dignitas accipienda sit.—An electio minus digni sit valida.—An inducat onus restitutionis.—An liceat alicui plura possidere beneficia.—Quae causae pluralitatem beneficiorum cohonestent.

Art. IV. Quomodo beneficia ecclesiastica vacent. “Praeter casum mortis beneficiati, duplici ex capite beneficia ecclesiastica vacare censentur: 1.º voluntate ipsius: 2.º juris potestate. Ex primo capite beneficia vacant, si beneficiatus ea renunciaverit, aut resignaverit, aut permutaverit. *Renunciatio* est: Spontanea et pura dimissio proprii beneficii facta coram legitimo Superiore eam acceptante. *Resignatio* definitur: Beneficii renunciatio non pura, sed cum aliqua conditione, v. g. ut beneficium alteri tradatur à renunciante designato, vel sibi reservando aliquam pensionem à beneficio percipiendam. *Permutatio* est quaedam resignationis species; et datur, cum duo beneficiati sua beneficia renunciant ea conditione, ut postea alteri beneficium alterius conferatur„.—*Quaeres:*—Quaenam sint conditiones, ut valeat renunciatio, resignatio vel permutatio beneficii. (n. 135.)—*II.* Potestate juris beneficia vacua fiunt: 1.º si beneficiarius coierit nuptias: 2.º si professionem religiosam emisit: 3.º si militiae nomen dederit: 4.º si suo tempore non suscepit ordinem beneficio adnexum: 5.º si aliud beneficium incompatible fuerit assecutus: 6.º in poenam quorundam graviorum criminum, v. g. ob haeresim, simoniam, et alia hujusmodi.

SECTIO II.

DE STATU RELIGIOSO SEU REGULARIUM.

(in quatuor capita divisa.)

1.^o De natura status religiosi; 2.^o de vocatione et ingressu in religionem: 3.^o de novitiatu et professione: 4.^o de obligationibus Religiosorum.

LECTIO 14. A.

Cap. I. De natura Status Religiosi. “Status Religiosus *generatim acceptus* est specialis vivendi modus, in quo homines voluntarie se offerunt divino cultui, se ipsos obligando ad aliquam consiliorum observantiam. *Proprie et rigore* sumptus definitur: Stabile vitae institutum..... Quatenam requiruntur ad statum religiosum proprie dictum. “1.^o Ut vota emissa sint perpetua: 2.^o Ut Institutum sit ab Ecclesia approbatum, uti Religio seu ordo religiosus. Ad haec Moniales clausuram observare debent, ut religiosae proprie et striete dici possint.”—An requiratur, ut vota emissa sint solemnia. (R. 1.)—Quae approbatio requiritur, ut nova Religio seu Institutum religiosum in Ecclesia inducatur.—An in praesenti Sedes Apostolica nova Instituta religiosa ut Ordines proprie dictos approbare soleat. (R. 2.)—Quatenam ergo haberi nequeunt ut Religiosi proprie dicti. (R. 2. et 3.)—An, et quomodo distinguantur Instituta religiosa. “In essentialibus, nempe, *quoad vota et approbationem Ecclesiae* omnes conveniunt: sed variant *ex regulis*; nam alia contemplativae vitae student, alia activae, alia utriusque. Inde *Monachi, Clerici regulares, Fratres*: et ex his alii dicuntur *possidentes*, et alii *mendicantes*,—An status religiosus commendatus fuerit ab ipso Christo in Evangelio. (n. 136.)—An praestet dignitate et perfectione statui tum matrimonii tum caelibatus. (Ibi.)—An etiam statui Sacerdotali.

Cap. II. De vocatione et ingressu in religionem. (n. 148.) “*Vocatio divina* est actus providentiae supernaturalis, quo Deus aliquos praeter alios ad statum religiosum eligit et vocat, et simul dotes et gratias speciales ad illum exequendum et servandum elargitur. Unde duo complectitur: impulsum supernaturalem, et dotum ac specialium gratiarum collationem.—*Principia.* I. An vocatio divina necessaria sit ad statum religiosum amplectendum. II.—Quatenam sint signa vocationis religiosae.—In quo *aptitudo* consistat.—In quo *recta et constans inclinatio*.—Quare dicitur *in providentia ordinaria*. III. “Religionem ingredi alii prohibentur, et alii tenentur. Prohibentur indigni, non vocati, et impedimento aliquo detenti; tenentur qui religionem voverunt, et qui se vocatos sentiunt.”—*Quaesita*.—An

vel quomodo peccet, qui se vocatum sentiens, divinae vocationi non obsequitur.—Quomodo peccet, qui non vocatus, statum religionis suscipit.—An peccent graviter parentes vel Superiores, qui avertunt filios vel subditos à statu religioso.—An peccent filii religionem ingredientiés invitis aut insciis parentibus.

Cap. III. De novitiatu et professione. (n. 139.) “Novitiatus definiri potest: *Probatio illius, qui habitum religiosum suscepit, per annum integrum et continuum, ut admitti ad professionem possit.* Professio sollemnis est: *Promissio libere facta et legitime acceptata, qua quis sese perpetuo adstringit certae religioni ab Ecclesia probatae cum sollemni votorum emissionem.*—*Principia.* I. Probatio novitiatus ex statuto Tridentini requiritur ad professionis validitatem, ita ut *professio*, ante facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem. II. Quoad puellas ex eodem Concilio, Episcopus tenetur sub gravi explorare per se (n. 140.) III. Ex Decreto Pii IX. 19. Mart. 1857, Religiosi eorum Ordinum (n. 138, 4.)—*Quaesita.* Circa I. An integritas anni novitiatus requiratur ad validitatem professionis. (Q. 3.)—An interruptio novitiatus validitati professionis officiat.—Quando annus probationis interrumpi censeatur.—*Circa* II. An Episcopus puellas explorare teneatur, si monasterium sit exemptum. (Q. 2.)—An hujusmodi examen ad valorem professionis requiratur. (Ibi.) *Circa* III.—An vota simplicia, de quibus agitur in Decreto Pii IX. sint perpetua vel temporalia.—Quisnam ab his votis dispensare possit.—An qui haec vota emittunt, eo ipso fiant vere et proprie religiosi.

LECTIO. 15. A.

Cap. IV. De obligationibus Religiosorum. “Religiosi, qua tales, sive sint Clerici sive laici, sive viri sive feminae, tenentur: 1.º tendere in perfectionem: 2.º Officium divinum recitare: 3.º servare vota. De singulis,„.—*Art. I. De obligatione tendendi in perfectionem.*—*Principia.* I. An Religiosus teneatur studere perfectioni. (n. 137. 3.) II.—Quibus mediis ad perfectionem tendere debet. (n. 142.) III.—Quando Religiosus graviter peccet contra praeceptum tendendi ad perfectionem. (n. 143.)—*Quaesita.*—An peccet graviter Religiosus, qui proprias Ordinis Regulas violat, secluso contemptu. (Ibi.)—An qui intendit servare tantum mandata obligantia sub gravi, et de ceteris nullatenus curare. (n. 145.)—An vel quatenus obliget sub peccato Regula distributive sumpta.—An peccet graviter Praelatus leves defectus subditorum corrigere negligens.

Art. II. De obligatione Officium divinum recitandi.—*Principia.* I. Religiosi omnes utriusque sexus in Ordine ab Ecclesia approbato professi, et ad chorum destinati, tenentur quotidie sub gravi ad

divinum Officium, saltem private, recitandum, secluso privilegio in contrarium. (n. 50.) II—An haec obligatio recitandi Officium divinum oriatur ex ipsa professione religiosa. (n. 146. Q. 11.)—*Quaesita.*--An in Ordinibus, in quibus recitatur tantum Officium B. M. V., haec recitatio obliget sub gravi.--An in Communitatibus, quibus praeter Officium diei recitandum est etiam Officium B. Virginis aut Defunctorum aut Psalmi poenitentiales, obligatio haec afficiat privatim recitantes extra chorum.

Art. III. De votis emissis in professione, et de eorum observantia.
 “Vota in professione religiosa emissa, quaeque ipsius naturam constituunt, sunt vota solemnia *paupertatis, castitatis, et obedientiae.*—In quo sita sit solemnitas votorum. (n. 178.)--An Papa à votis solemnibus dispensare possit. (n. 147.)--Seorsim de singulorum obligationibus.

LECTIO 16. A.

§. I. *De voto solenni paupertatis.* “Vota solemnia in professione religiosa emissa, vinculum duplex inducunt; aliud ratione voti; aliud ratione solemnitatis, seu acceptationis Ecclesiae. *Qua vota,* obligant voventem erga Deum ad rem promissam praestandam. *Qua solemnia,* illum inhabilem reddunt in perpetuum et immutabiliter ad ea omnia, quae voto sunt contraria, et quorum irritatio cadit sub Ecclesiae potestatem. Unde: *Principia.* I. Religiosus, *vi voti* paupertatis, obligatus manet erga Deum, ut nihil habeat proprii *in particulari* seu *personaliter* ad disponendum ex bonis temporalibus sine licentia Superioris. Et hoc valet etiam quoad eos, qui vota tantum simplicia emittunt. II. Religiosus, *vi solemnitatis* voto adnexae, inhabilis fit ex dispositione Ecclesiae ad dominium rerum temporalium sive retinendum, sive acquirendum, sive transferendum, etiam cum licentia Superioris, nisi accedat Apostolicae Sedis dispensatio. Unde, professione emissa, professi bona et jura omnia, nisi de eis ante disposuerit, cedunt Communitati seu Monasterio, si et hoc capax sit possidendi bona immobilia; secus haeredibus legitimis. III. Religiosus, *vi perfectionis* sui status propriae, praeter obligationem voti, tenetur ad virtutem paupertatis, et quidem perfecte prosequendam, ut dictum est supra.—*Quaesita.*—Quodnam sit discrimen inter votum et virtutem paupertatis.—Quando Religiosus peccat contra votum. (*Resolves.*)--An peccet, qui absque licentia Superioris propria manuscripta servat, et alio transfert. (Q. 4.)---An qui res ad determinatum usum sibi concessas in alium usum impendit.--An qui donat aliis, quod parcius vivendo sibi subtrahit.--An qui accipit ab extraneo pecuniam in pia opera ad libitum impendendam.--An qui recusat ea, quae sibi ab extraneis

offeruntur.—Quaenam materia censenda sit gravis in violatione voti paupertatis.—*Quoad Religiosos non solemniter professos.*—An Religiosus servans dominium directum bonorum, possit *valide* de his disponere absque licentia Superioris. (Q. 2.)—Ad quae se extendat dominium directum Religiosi non solemniter professi.

LECTIO 17. A.

§. II. *De voto solenni castitatis, et de clausura.*—*Principia.* I. Religiosus *vi voti* castitatis obligatus manet erga Deum, ut se absterneat ab omni delectatione venerea, etiam in his, quae *per se* sunt licita, videlicet in matrimonio: in his vero, quae *per se* illicita sunt, obligatur ex duplici titulo, nempe, ex voto et ex virtute castitatis. Et hoc valet etiam quoad eos, qui vota tantum simplicia emittunt. II. Religiosus *vi sollemnitatis* voto adnexae, inhabilis fit ex dispositione Ecclesiae, et quidem in perpetuum et immutabiliter ad matrimonium etiam valide contrahendum. III. Votum sollemne castitatis in professione religiosa emissum, matrimonium antea valide contractum, sed nondum consummatum, dissolvit etiam quoad vinculum; et hoc ex privilegio speciali à Christo concessio, et ab Ecclesia declarato. IV. Religiosus *vi perfectionis* sui status, tenetur ad perfectionem virtutis castitatis. V. Ad tuendam castitatem et monasticam disciplinam, statuta est ab Ecclesia Clausura religiosa, quae definitur: „Lex prohibens, ne religiosi utriusque sexus è claustris exeant extra casus in jure permissos, et ne exteri intra claustra admittantur,„.—*Quaesita.*—An votum castitatis sit praestantius paupertatis voto. (n. 164.)—An, vel quaenam est differentia inter virtutem et votum castitatis. (Q. 3.)—An peccata luxuriae etiam mere interna voto castitatis adversentur.—Quaenam sit gravitas peccatorum contra votum castitatis commissorum.—Quale sit peccatum egredi é monasterio sine licentia.

LECTIO 18. A.

§. III. *De voto solenni obedientiae.*—*Principia.* I Religiosus *vi voti* obedientiae manet obligatus erga Deum, ut obediat Superiori in his omnibus, quae sunt secundum regulas et constitutiones Ordinis. Et hoc valet etiam quoad illos, qui vota tantum simplicia emittunt. II. Religiosus *vi sollemnitatis* voto adnexae, inhabilis fit ex dispositione Ecclesiae ad ullam obligationem contrahendam absque consensu Superioris in his, quae subsunt istius potestati. III. Religiosus *vi perfectionis* sui status, tenetur ad perfectionem virtutis obedientiae.—*Quaesita.*—An votum obedientiae praestantius sit pau-

pertatis et castitatis votis.—Quodnam discrimen intercedat inter virtutem et votum obedientiae.—Quando tum votum, tum virtus obligant sub peccato. (P. I.)--De quibus Superior jus habeat praecipendi. (P. II.)--An Religiosus teneatur obedire Superiori rem aliquam impossibilem, aut evidenter illicitam, aut graviter sibi noxiam praecipienti. (P. III.)—Quid in dubio, utrum res praecepta sit licita, necne. (Q. 3.)—Quandonam Religiosus peccet graviter contra votum obedientiae. (Q. 4.)—Quotuplex peccatum facit Religiosus inobediens. (Q. 1.)—Quibus obediendum sit ex virtute obedientiae. (Q. 5.)—Quomodo sit obediendum ad virtutis perfectionem.--An votum simplex obedientiae differat à voto solemni, et in quo. (Q. 2.)

LECTIO 19. A.

APPENDIX I. *De privilegiis Regularium.*—Quot sunt praecipua privilegia ex jure communi Regularibus concessa. I. *Circa exemptionem à jurisdictione Episcopali.* “*Exemptio* est: Privilegium, quo personae et loca Regularium à jurisdictione Episcoporum seu Ordinariorum liberantur, ac Romano Pontifici immediate subjiciuntur.”—Quae personae exemptionis privilegio gaudent.--An aliquando tum personae, tum loca exempta jurisdictioni Episcopi loci subjaceant. II. *Circa Sacramentum Poenitentiae.* 1.º Quoad confessiones *saecularium* suscipiendas indigent quidem *approbatione* Episcopi loci, non vero ipsius *jurisdictione*, quam à Papa accipiunt. Idipsum tenendum est quoad confessiones *Monialium*. 2.º Quoad confessiones *Regularium* ejusdem Ordinis et saecularium, *qui sunt de familia*, ex Superioris sui facultate absolvere possunt absque ulla Episcopi loci approbatione. 3.º Quoad proprias confessiones, Regulares *in Conventu degentes* confiteri debent tantum Sacerdotibus à Superiore designatis; et si *in itinere*, socio idoneo, si quem habeant: secus cuilibet approbato.—*Quaeres.*--An etiam non approbato, modo idoneus sit. III. *Circa casus reservatos.*--An post Constitutionem *Apostolicae Sedis* Regulares gaudeant privilegiis aut facultatibus generalibus absolvendi à casibus Papae quoquo modo reservatis.--An per praedictam Constitutionem abrogatae etiam fuerint facultates extraordinariae, sive quinquennales sive triennales. (Nota.) IV. *Circa irregularitates, vota et matrimonii impedimenta.*—Quid de privilegiis Regularium dispensandi in irregularitatibus.--An et quomodo dispensare valeant in votis et juramentis.--An etiam in impedimentis matrimonii. V. *Circa Missam, Communionem, et ultima Sacramenta.*—Quo privilegio gaudeant Regulares circa horam celebrationis Missae.--An et quando possint ministrare Eucharistiam in suis Ecclesiis omnibus fidelibus.--An, et quibus adminis-

trare possint Communionem paschalem, Viaticum, et Extremam
Unctionem. VI. *Circa leges ecclesiasticas et praedicationem.*--An
Regulares possint aliquando dispensare in legibus communibus
Ecclesiae.—Quanam polleant facultate in ordine ad praedicationem.
--An privilegia praedicta singulis individuis Ordinum Religiosorum
competant. VII. *Circa communicationem privilegiorum.* "Communi-
catio intelligitur extensio privilegiorum uni Ordini religioso conce-
ssorum ad alios Ordines,."—Qui Ordines communicant inter se
privilegia.--An aliqua privilegia excipiantur à communicatione.

APPENDIX II. *De statu actuali Regularium in Gallia.* I. *Quoad
Moniales.*--An Moniales in Gallia emittant vota solemnia.--An nihi-
lominus lucrari valeant omnes Indulgentias Religionis, in qua vota
solemnia alibi emittuntur.--An Episcopus in Gallia dispensare possit
Moniales à votis.—An votum ingrediendi Religionem Papae reser-
vatum sit in Gallia.--An leges clausurae quoad Monasteria Monia-
lium in Gallia rigorose servari debeant.--An clausuram violantes
poenas ecclesiasticas incurrant.--An urgeat obligatio Officii divini
pro Monialibus in Gallia. II. *Quoad viros.*--An vota Religiosorum
in Gallia nunc habenda sint ut solemnia.

LECTIO 20. A.

Epilogus universi Tractatus.

TRACTATUS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

(in quatuor capita divisus.)

1.^o De natura: 2.^o de materia et forma: 3.^o de Ministro: 4.^o de subjecto Sacramentorum.

LECTIO. 1.^a B.

Cap. I. De natura Sacramentorum. I.—DEFINITIO.—Quid est Sacramentum.—Quaenam necessario requiruntur in omni Sacramento.—In quo Sacramenta distinguantur à sacramentalibus.—Quibus constant et perficiuntur signa à Christo instituta, seu Sacramenta. “Constant rebus et verbis, seu, ut ajunt, materia et forma. Verum cum materia et forma consistant in *actionibus*, ideo ministro opus est, qui Sacramenta conficiat: neque utcumque, sed cum debita intentione. Unde *Sacramenta tribus perficiuntur: rebus tanquam materia; verbis tanquam forma, et persona Ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* II. NUMERUS ET INSTITUTIO.—Quot sint Sacramenta Novae Legis, et quisnam eorum auctor.—An Christus immediate et per se ipsum omnia Sacramenta instituerit. III. EFFICACIA ET EFFECTUS. “Duo recensentur Sacramentorum Novae Legis effectus, gratia sanctificans et character. Prior competit omnibus Sacramentis; posterior tribus tantum, Baptismo scilicet, Confirmationi et Ordini. Gratia Sacramentorum differt in aliquo à gratia mere sanctificante, quae acquiritur extra Sacramenta; et ideo illa gratia *sacramentalis* dici solet. In quo autem differat, non satis constat. Probabilius et communius in his duobus: quia gratia sacramentalis addit gratiae mere sanctificanti vim et perfectionem propriam juxta naturam cujuslibet Sacramenti, sic, v. g. in Baptismo illuminat, in Confirmatione roborat, in Eucharistia nutrit, et sic de ceteris: 2.^o quia gratia sacramentalis gratiae mere sanctificanti adjicit opportunam opem ad *Sacramenti finem* obtinendam. Rursum gratia Sacramentorum dicitur *prima* vel *secunda*. Gratia prima est, quae delet peccatum, et primo intrat in animam; gratia vero secunda, quae auget primam jam in anima receptam. Baptismus et Poenitentia instituta sunt, ut primam gratiam conferant; cetera ut secundam.—Quomodo Sacramenta Novae Legis conferant gratiam.—Quid intelligitur *ex opere operato*. (n. 190.) “Vi divinae institutionis, seu vi propria ipsius signi; non autem merito ministrantis vel suscipientis. Verum ad hoc, ut Sacramenta *possint* conferre gratiam, quam significant, necesse est, ut

valide administrentur; ut autem *revera gratiam conferant*, necesse est praeterea, ut licite suscipiantur. Sacramentum confertur *valide*, quando nihil deest ex illis, quae ad substantiam ejus pertinent; et *licite* recipitur, quando nihil deficit de dispositionibus necessariis. Quid est character. *Signaculum quoddam.....* (Q. 4.) In quo consistat character. "Videtur consistere *in quadam consecratione indelebili, et in potestate spirituali permanente*, qua invalide, ac proinde illicite iteratur. Character Sacramenti duo praestat; videlicet, insignit subjectum, et illum idoneum efficit ad ea, quae sunt cultus divini, vel suscipienda vel peragenda. IV. NECESSITAS. "De fide est Sacramenta Novae Legis ad salutem necessaria esse; verum non omnes, neque eodem modo. Itaque quinque priora necessaria sunt; duo posteriora voluntaria. At Baptismus et Poenitentia sunt necessaria *necessitate medii*, alterum omnibus, sive parvulis sive adultis, alterum lapsis post Baptismum: alia vero *necessitate praecepti*. V. DIVISIO. 1.^o in ordine ad salutem animae: 2.^o ratione characteris, quod imprimunt: 3.^o Ratione dispositionis suscipientis: 4.^o ratione gratiae, quam causant.

* *Quaesita*. An Sacramenta *mortuorum* secundam gratiam conferre possint.—An Sacramenta *vivorum* primam gratiam aliquando conferre valeant. "Hoc autem etiam in duplici casu fieri potest: 1.^o quando quis accedit ad Sacramentum invincibiliter ignorans se esse in peccato mortali: 2.^o quando, licet peccati mortalis conscius, accedit credens invincibiliter se habere contritionem, quam revera non habet,,.—An in his casibus necessario requiratur attritio, ut Sacramenta *vivorum* primam gratiam conferant—An peccatum originale deleatur in Baptismo valido quidem, sed informi ob defectum dispositionis in adulto baptizato.—An vel quando tale peccatum deleatur.—An in hoc casu dici possit peccatum originale deleri per Sacramentum Poenitentiae.—Quales sint effectus gratiae sacramentalis singulis Sacramentis propriae.

LECTIO 2.^a B.

Cap. II. De materia et forma Sacramentorum. "Materia Sacramenti dicitur res illa, qua ex Christi institutione Ecclesia utitur in Sacramentis conficiendis. Est duplex: *remota et proxima*. Remota est res ipsa, uti in Baptismo aqua: proxima est hujus rei usus seu applicatio à Ministro facta, uti in Baptismo, ablutio. *Forma* Sacramentorum sunt verba, quibus ex Christi institutione Ecclesia utitur in Sacramentis conficiendis,,.—Quare res in Sacramento dicitur materia.—Quare verba dicuntur forma. "Tum materia tum forma possunt esse *certae* seu *validae, licitae, dubiae, et nullae*. Materia *certa* est illa, cum qua valide fit Sacramentum, et hoc certo constat. *Licita*,

cum qua valide et licite fit Sacramentum. *Dubia*, de qua dubitatur, an cum illa fiat Sacramentum, vel non. *Nulla*, cum qua nullum fit Sacramentum, et hoc certo constat. Similiter et forma.—Agendum: 1.º de necessitate et modo applicationis: 2.º de usu: 3.º de mutatione: 4.º de iteratione materiae et formae.

I. *De necessitate materiae et formae, et quo modo sint applicandae.*—*Principia*. I. An materia et forma sint necessariae ad Sacramenti validitatem. II. Quomodo materia et forma applicari debeant, ut Sacramentum sit validum. “1.º Ab eodem Ministro et erga idem subjectum. 2.º Ea unione seu conjunctione, ut forma materiam afficiat, et cum ea unum totale signum constituat. (P. III. et IV.) Porro hujusmodi conjunctio diversa est pro diversa natura cujusque Sacramenti: unde 1.º in Eucharistia debet esse *simultanea*, id est, ut simul et eodem tempore applicetur materia et pronuntietur forma: 2.º in Bapt. Conf. Ord. et E. Unct. debet esse saltem *immediata*, id est, ut, una posita, sive materia sive forma, vel simul vel statim immediate altera ponatur. 3.º Poenitentia dilationem aliquam patitur, Matrimonium ampliorem.”

II. *De usu materiae et formae.*—*Principia*. I. Quae materia et forma adhibendae sint in conficiendis Sacramentis. (P. II.)—II. In casu tamen necessitatis, deficiente materia certa, licet uti probabili et dubia. Ratio est, *quia Sacramenta propter homines.*—III. Praeterea, si materia est capax benedictionis, prius benedicenda est, ut Sacramentum licite administrari possit.

III. *De mutatione materiae et formae.*—Quotuplex mutatio tum in materia tum in forma dari potest.—Quando mutatio in materia dicitur *substantialis*.—Quando dicitur *substantialis* in forma.—Quae mutatio censetur *accidentalis*.—Quibus modis forma Sacramentorum mutari solet. “Quoad materiam autem mutatio plerumque fit admixtione alterius rei, veluti aquae vino; quod si alia pro alia adhibeatur, v. g. aqua pro vino, proprie non mutatio, sed substitutio dicitur debet.”—*Principia*. I. An, vel quando mutatio in materia et forma invalidet Sacramentum. II.—Quale peccatum sit mutatio sive *substantialis*, sive *accidentalis*. “Quoad accidentalem, certo grave peccatum est: 1.º si sit notabilis, et sub gravi prohibita, uti, v. g. fermentum in pane, et omissio commixtionis aquae in calice: 2.º si fiat ex contemptu: 3.º si dubitetur utrum sit *accidentalis*, vel *substantialis*.”

IV. *De iteratione materiae et formae seu de iteratione Sacramentorum.* “Sacramentorum iteratio hic intelligitur, lata significatione, illud conferre denuo, sive adhibita iterum materia et forma, sive repetita forma tantum.”—*Principia*. I. An liceat Sacramenta iterari, quando non adest dubium prudens de eorum valore. “Ratio est, quia certo conferuntur invalide, ac proinde sacrilege. Unde R. 3. et 4.” II.—Quid si hujusmodi dubium prudens detur. III.—An in

hoc casu Sacramenta iterari non solum possint, sed aliquando *debeant* IV. “Dubium prudens, regulariter loquendo, grave esse debet: verum cum agitur de Baptismo vel Sacerdotio, sufficit minus grave: cum de Eucharistia et Poenitentia, in quibus sola repetitione formae opus est, adhuc minus grave, dum ne sit leve prorsus. (R. 1. 2.) V. Quoties Sacramentum iteratur propter dubium, semper sub conditione iterandum est. (P. III.)

CAPUT III.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

(in duos articulos divisum.)

1.^o De requisitis in Ministro: 2.^o de officio Ministri.

LECTIO 3.^a B.

Art. I. De requisitis in Ministro ad Sacramenta conferenda.—Quisnam dicitur Minister Sacramentorum. “Duplex distinguitur: *ordinarius*, cui vi ordinationis vel officii, et *extraordinarius*, cui ex commissione tantum competit ministrare.”—Quaenam requiruntur in Ministro ad Sacramenta conferenda. “Alia requiruntur ad *validam*, alia ad *licitam* administrationem. Ut Sacramentum valide conferatur, requiritur *intentio*, non vero fides neque probitas; ut conferatur licite, requiritur *attentio et probitas*, seu status gratiae.” De singulis.—§. I. *De intentione Ministri.*—Quid est intentio in genere. “In substracta materia intentio definitur: Voluntas Ministri faciendi Sacramentum, vel saltem faciendi, quod facit Ecclesia in Sacramentorum administratione. Intentio multiplex: 1.^o *actualis, virtualis, habitualis et interpretativa*. *Actualis* dicitur, quae est in actu, et actualiter influit in operatione. *Virtualis*, quae fuit antea, et virtute perseverat. *Habitualis*, quae fuit antea, et nullomodo perseverat. *Interpretativa*, quae neque est, neque fuit; sed *esset*; scilicet, prudenter praesumitur quod haberetur, si de re cogitaretur, aut cogitari posset. Haec de intentione in genere. 2.^o Intentio Ministri Sacramentorum distinguitur in *internam et externam*. *Interna* habetur, quoties Minister, dum Sacramentum seu signum perficit, illud efficere vult, quod eo signo faciendum est: intentio autem pure *externa* datur, quando Minister omnem ritum externum obiit serio, et quasi minister Ecclesiae, sed sine voluntate faciendi illo ritu, quod Ecclesia fieri vult. 3.^o Intentio interna iterum distinguitur in *explicitam et implicitam*. Prima locum habet, quoties Minister expresse vult facere Sacramentum: altera, quando, licet Sacramen-

tum facere expresse non intendat, attamen vult facere quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia. 4.^o Intentio haec dicitur *determinata*, si applicetur ad certam personam et materiam; et *indeterminata*, si in confuso et in genere ponatur. 5.^o Rursum intentio est *absoluta*, si ponatur absque ulla conditione; secus appellatur *conditionata*.—*Principia*. I. An, et qualis intentio requiratur in Ministro ad validitatem Sacramenti. II.—An intentio haec necessario debeat esse *actualis*. III.—An etiam intentio *habitualis et interpretativa* sufficiant.—*Quaesita*.—An ad valorem Sacramenti requiratur in Ministro intentio *interna*.—An requiratur intentio *explicita* conficiendi Sacramentum.—An requiratur intentio faciendi, quod facit Ecclesia Romana.—An intentio Ministri debeat esse *determinata* ad certam materiam et personam.—An validum sit Sacramentum cum intentione *conditionata* collatum.—An licita sit collatio Sacramentorum cum intentione *conditionata*, in dubio utrum valide collata fuerint.—An etiam in dubio, utrum materia sit valida, necne.—An conditio verbis exprimi debeat.—Quid si agatur de Baptismo sub conditione conferendo.

§. II. *De attentione Ministri*. “Attentio in genere est applicatio agentis ad id, quod peragit. Hic intelligitur applicatio Ministri ad actum administrationis Sacramenti. Ex duplex: *interna*, si Minister applicetur *mente*, ita ut advertat ad id, quod agit: et *externa*, si applicetur *corpore*, ita ut serio et reverenter agat.”—*Principia*. I. Attentio *externa* in Ministro Sacramentorum necessario requiritur ad validitatem Sacramenti. Ratio est, quia alias non ageret ut Minister Christi, neque proinde cum debita intentione. I.—An requiratur etiam attentio *interna* ad valorem Sacramenti. III.—An requiratur ad licitam collationem.—Quale peccatum sit distractio voluntaria in collatione Sacramentorum.

§. III. *De fide et probitate Ministri*. “Fides intelligitur illa, quae vera et catholica est: probitas status gratiae.”—*Principia*. I. An tum fides tum probitas requirantur in Ministro ad valorem Sacramenti. II.—An status gratiae, ac proinde fides, requirantur ad licitam administrationem.—*Quaesita*.—An peccet graviter Minister, qui confert in mortali Sacramentum, ad quod non est specialiter ordinatus seu consecratus.—An Minister consecratus, qui ministrat non solemniter.—An minister consecratus, et solemniter ministrans, sed urgente necessitate.—An qui ministrat Eucharistiam extra Missae celebrationem.—An qui tangit aut defert S.S. Eucharistiam sive mediate sive immediate.—An qui exercet alias functiones sacras.—An qui audit confessionem, sed non absolvit.—Quot peccata committat Confessarius plures poenitentes successive in mortali absolvendo.—Quot peccata committat, qui in mortali pluribus Eucharistiam ministret.—An teneatur Minister confiteri ante confectionem Sacramenti, si reus sit peccati mortalis. (Q. 7.)

LECTIO 4.^a B.

Art. II. De officio Ministri. “In conficiendis Sacramentis Minister curare debet imprimis, ut valide et licite illa conficiat. *Valide*, ideo necesse est, ut debitam intentionem habeat, ac materiam ac formam à Christo institutas adhibeat. *Licite*, ex quo capite necesse est, ut vacet letali, dum Sacramentum conficit. Verum praeter haec, Minister tenetur: 1.^o Sacramenta quandoque ministrare: 2.^o aliquando illa denegare: 3.^o numquam ea simulare: 4.^o illa denique conficere modo debito ab Ecclesia praescripto. De singulis.

§. I. *De obligatione ministrandi Sacramenta.* “De jure ecclesiastico administratio Sacramentorum competit illis solis, qui curam habent animarum; ceteris autem non nisi ex illorum licentia, vel in eorum defectu. Exinde duplex obligatio ministrandi: quoad hos, vi Ordinis, et tantum ex charitate; quoad illos, etiam ex officio et ex justitia.”
—*Principia.* I. Quando curam animarum habentes tenentur Sacramenta ministrare.—Quando censetur subditos *rationabiliter* petere Sacramenta. II. Quando tenentur ministrare Sacramenta illi, qui curam animarum non habent.—*Quaesita.*—Quinam censeantur animarum curam habere.—Quando habentes curam animarum, peccant graviter contra hanc obligationem. (R. 1. et 5.)—Quando censetur illos graviter non peccare (2. et 3.)—An Parochus, qui idoneos habet Vicarios, teneatur per se ipsum confessiones excipere. (4.)—An et quando obligatio ministrandi Sacramenta obliget etiam cum periculo vitae. (Q. 2. Resp. 2.)—Quaenam Sacramenta ministranda sint cum tali periculo.—An teneatur quis exponere vitam ad ministranda praefata Sacramenta cum probabilitate tantum successus vel necessitatis.

§. II. *De obligatione denegandi Sacramenta.* “In Sacramentis ministrandis duo à Ministro prae oculis habenda sunt: utilitas suscipientis, quippe ad hoc instituta sunt Sacramenta, et reverentia Sacramentis debita, quia sancta sancte tractanda sunt. Primum ex charitate, et si suscipiens sit subditus, ex justitia: secundum ex religione: utrumque demum ex voluntate Christi. Hinc: *Principia.* I. Per se et *generaliter loquendo*, Minister tenetur Sacramenta indignis denegare; et hoc ex charitate vel justitia, ex religione, et ex Christi voluntate, ut dictum est. II. Licitum est aliquando peccatori petenti Sacramenta ministrare, quando nempe Sacramenti denegatio non sine gravi infamia vel scandalo, aut gravi Religionis detrimento fieri possit. Ratio est, quia neque charitas et justitia, urgent cum quolibet incommodo; neque lex Christi, quae cavet reverentiae Sacramentorum, plus urget, quam ceterae divinae leges, quae cessant in conflictu cum lege naturali, et praesertim ob bonum publicum Religionis. Hinc: REGULAE I. II. III.—*Quaesita.*—Quando

censeatur peccator *publicus* seu *notorius*, vel *occultus*.—Quandonam censeatur *occulte* petens Sacramentum.--An sit negandum Sacramentum indigno publice petenti, cujus crimen est notorium quidem, sed nondum publicum.--An denegandum peccatori, quando crimen ejus non est publicum ubi petit, publicum tamen est alibi.

§. III. *De obligatione non simulandi Sacramenta*. “Sacramentorum simulatio duplex distinguitur: *propria et impropria*. Simulatio *propria* consistit in appositione ficta formae ad materiam, aut in ficta formae prolatione; seu tunc solum datur, cum fecte quidpiam ponitur, quod pertinet ad essentiam Sacramenti. (n. 221.) Simulatio *impropria* habetur quando Minister ponit aliquod signum, quod non est usurpatio Sacramenti, neque ad illius substantiam pertinet. Rursum ratione intentionis Ministri, simulatio tam propria quam impropria, dicitur *formalis* vel *materialis*. *Formalis*, si Minister intendat decipere: *materialis*, si intendat aliquid aliud, v. g. indispositionem suscipientis occultare, licet ex hoc alii decipiantur.”—*Principia*. I. Simulatio *propria*, quocumque animo ponatur, sive deceptionem intendendo, sive ex alio motivo, numquam licet. Ratio, quia est injuria et irreverentia gravis in Christum. Unde: (R. 1 2. et 4.) II. Simulatio *impropria*, si sit *formalis*, seu cum animo fallendi, illicita est in omni casu, quia est mendacium; si vero sit *materialis* et cum causa justa, licet. Hinc: (R. 3.)—*Quaeres*.--An peccent mortaliter, qui metu gravi coacti matrimonium inire simulant. (R. 5.)

§. IV. *De modo Sacramenta conferendi*.--*Principia*. I. Minister in Sacramentorum administratione ea omnia, eaque sola observare debet, quae ab Ecclesia constituta vel probata sunt, neque quidquam ex his mutare aut detrahere, neque eis aliquid adjicere potest sine peccato. Constat ex Tridentino *ses. 7. can. 13*. II. Minister quam maxime curare debet, ut omnia graviter, religiose et cum fidelium aedificatione perficiat. Ad hoc enim ritus et ceremoniae sunt ab Ecclesia institutae, inquit Tridentinum, ut *mentes fidelium per haec visibilia et pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem excitentur*.—*Quaesita*.--An de praecepto sit usus Ritualis Romani in administratione Sacramentorum.—Quibus formulis utendum sit in benedictionibus.—Quaenam vestes sacrae requirantur ad Sacramentorum administrationem.—Quandonam usus stolae praescribatur.

LECTIO 5.^a B.

Cap. IV. De subjecto Sacramentorum.—Quis intelligitur subjectum Sacramentorum.--An omnes homines omnium Sacramentorum sint capaces.--Agendum est: 1.^o de his, quae subjectum praestare: 2.^o de his, quae vitare debet in Sacramentorum susceptione.—*Art. I. De*

his, quae subjectum praestare debet. Subjectum, in recipiendis Sacramentis, quaedam debet praestare requisita seu dispositiones: et ex his aliae ad validam, aliae ad licitam susceptionem requiruntur. De singulis.—§. I *De requisitis ad validam receptionem.*—*Principia.* I. Ad cetera Sacramenta valide suscipienda, tam in infantibus quam in adultis praeexigitur susceptio Baptismo. II. In infantibus et perpetuo amentibus, ut valide recipiant Baptismum et alia Sacramenta, quorum sunt capaces, nulla requiritur dispositio. III. In adultis ad Sacramenta valide suscipienda nulla requiritur probitas, neque fides vera seu catholica, si Poenitentiae Sacramentum excipias. IV. In adultis ad validam Sacramentorum susceptionem, aliqua requiritur intentio, seu voluntas suscipiendi Sacramentum, si Sacramentum Eucharistiam excipias.—*Quaesita.*—Quaenam intentio requiratur in adultis pro singulis Sacramentis suscipiendis. “1.º Ad Poenitentiam et Matrimonium requiritur intentio *actualis* vel *virtualis*. Ratio est, quia subjectum in his Sacramentis debet *agere*, ac proinde modo humano. 2.º Ad Baptismum et Ordinem requiritur intentio *actualis*, vel *virtualis*, vel saltem *habitualis*. Ratio, quia sine voluntate habita, et nunquam retractata nullus adultus potest gravissimas obligationes, sive vitae christianae, sive status clericalis subire. 3.º Ad Confirmationem et E. Uctionem sufficit intentio etiam *interpretativa*. Ratio, quia collatio horum Sacramentorum est quaedam donatio et beneficium, ad quod acceptandum sufficit praesumptio voluntatis.”—An in Baptismo sufficiat intentio seu voluntas *implicita*, qualis esset in eo, qui haberet voluntatem peragendi omnia ad salutem necessaria. (Q. 2. Nota.)—An in subjecto adulto, ut Sacramentum valide suscipiat, requiratur etiam *attentio*.—§. II. *De requisitis ad licitam receptionem.*—*Principia.* I. In infantibus nulla requiritur dispositio, ut patet. II. In adultis ad Sacramenta *vivorum* licite et fructuose recipienda praerequiritur status gratiae; ad Sacramenta autem *mortuorum* requiritur dolor de peccatis, saltem imperfectus, in quo includuntur actus Fidei et Spei. III. Status gratiae certo per confessionem est procurandus, si ad Eucharistiam accedendum sit; si vero agatur de aliis Sacramentis, controvertitur. (P. I.)—*Quaesita.*—An Sacramenta valida sed informia suscepta, remoto obice reviviscant.—Qualis dispositio requiratur in subjecto, ut Sacramentum informe reviviscat.—An sufficiat attritio, ut Baptismus informis reviviscat, si subjectum alia peccata gravia commiserit. *Art. II. De his, quae subjectum vitare debet.* “Sicut Minister Sacramentorum curare tenetur, ne Sacramenta det indignis, ita et subjectum volens Sacramentum recipere, cavere debet, ne illud, petat ab indigno Ministro. Itaque Minister Sacramentorum ex triplici capite potest esse indignus; scilicet, vel ob peccatum mortale, vel ob excommunicationem aut censuram aliquam, vel denique ob haeresim aut schisma manifestum.—*Principia.* I.—An liceat petere

Sacramentum à Ministro in peccato existente. (Q. 4. Resp. 1. 2.) II.
An liceat petere Sacramentum à Ministro excommunicato. (Q. 5.)
III.—Quoad haereticos vel schismaticos manifestos, nunquam licet
ab illis, nisi forte in extrema necessitate, Sacramenta petere aut
recipere; quia communicatio in divinis cum hujusmodi esse nequit,
quin vel occasio adsit periculi perversionis aut scandali; vel com-
municatio in ritu falso et criminoso; vel quaedam approbatio hae-
resis et schismatis, aut honoris retributio.

LECTIO 6.^a B.

Epilogus hujus Tractatus.

TRACTATUS.

DE BAPTISMO.

(in quatuor capita divisus.)

1.^o De natura: 2.^o de materia et forma: 3.^o de Ministro: 4.^o de subjecto Baptismi.

LECTIO. 1.^a C.

Cap. I. De natura Baptismi. “Baptismus est primum Novae Legis Sacramentum in ordine vitae spiritualis. Ita Concilium Florentinum in Decreto unionis. *Baptismus vitae spiritualis janua est: per ipsum membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiae.* I. DEFINITIO.—Quid vox *Baptismus* aut *Baptisma* significat.—Quid est Sacramentum Baptismi. II. INSTITUTIO ET NUMERUS. “Baptismus ex Catechismo Romano institutus fuit à Christo, quando in Jordane à Joanne voluit baptizari: ex aliorum autem sententia nonnisi post resurrectionem, quando Christus, mittens Apostolos in universum mundum, dixit illis: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos.* At Sacramentum Baptismi unum est, dicente Apostolo, (ad Ephes. 4.) *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Unde non *re*, sed tantum *nomine* et *appellatione* duo alia baptismata admitti solent, *fluminis* scilicet, et *sanguinis*. Baptismus *fluminis* dicitur actus contritionis vel charitatis: Baptismus *sanguinis* est martyrium: et ideo baptismata appellantur, quia eosdem effectus ac Baptismus *fluminis* praestant, nempe, gratiam et remissionem peccatorum; vel quia votum seu propositum suscipiendi Sacramentum includunt, et hac de causa etiam *Baptismi in voto* dicuntur. III. EFFECTUS. Effectus Baptismi sunt duo: gratia et character. Gratia, *qua sanctificans*, delet peccatum originale et omnia peccata actualia; *qua sacramentalis*, remittit etiam omne reatum poenae temporalis, et mentem illuminat, quia est gratia *illuminationis* et *renovationis*. Character insignit baptizatum uti membrum Christi et de corpore Ecclesiae, illumque idoneum reddit ad suscipienda reliqua Sacramenta. Hinc Baptismus est janua Ecclesiae et Sacramentorum. IV. NECESSITAS. An Baptismus sit necessarius ad salutem, et quo sensu. “Baptismus *in re* est baptismus *fluminis* seu aquae realiter susceptus; Baptismus *in voto* est baptismus *fluminis* aut *sanguinis*, seu actus contritionis aut charitatis, vel martyrium pro Christo susceptum, cum proposito suscipiendi Baptismi *fluminis*.” —*Quaesita*--An hoc propositum seu votum necessario debeat esse *explicitum*. (Nota.)--An ad hoc, ut martyrium prosit pro vero Baptismo, requiratur aliquid aliud. “Quoad parvulos nihil omnino requi-

ritur: at in adultis requiritur tum intentio moriendi pro Christo, tum dispositiones, prout in Baptismo Sacramento, nempe, dolor de peccatis, saltem imperfectus,.

LECTIO 2.^a C.

*Cap. II. De materia et forma Baptismi.—Art. I. De materia.—*Quotuplex distinguitur materia Sacramenti Baptismi.—§. I. *De materia remota.—Principia.* I.--Quaenam sit materia remota Baptismi. II.—Quaenam sit materia licita. III.—Quali materia utendum sit extra casum necessitatis.—Quid si urgeat periculum mortis, et non possit haberi materia certa.—*Quaesita. Circa I.—*Quae aqua censetur vera et naturalis, ac proinde materia valida. (R. 1.)--Quae res materia invalida censentur, quia certo non sunt aqua. (1. 2. 3.) --Quaenam aliae uti materia dubia habendae sint. (1.^o Nix, glacies.) *Circa II.—*An, et quomodo peccet, qui utitur aqua impura, turbida, aut faeculenta. (P. II.)—§. II. *De materia proxima.—Principia.* I.--Quaenam sit materia proxima Sacramenti Baptismi. “Ad ablutionem necesse est: 1.^o ut aqua fluat: 2.^o ut ea fundatur aquae copia, qua quis vere ablutus dici possit 3.^o ut corpus tangat,.” II.--Quibus modis ablutio fieri potest. III.--Ablutio, saltem ex praecepto Ecclesiae debet esse trina, et in capite.—*Quaesita. Circa I.—*An valeat Baptismus, si aqua tangat corpus infantis, adhuc in tela secundina involutum. (Q. 1.) Quid si aqua tantum tangat vestes aut crines baptizandi. An una vel altera gutta aquae ad baptizandum sufficiat. *Circa II.—*An validus sit Baptismus, sive *per immersionem*, sive *per infusionem* aut *aspersione*m conferatur. “Ratio est, quia ad essentiam Sacramenti pertinet *ablutio*, non vero *modus ablutionis*,.” *Circa III.—*An trina ablutio ad valorem Baptismi requiratur. (Q. 5.)--An valeat Baptismus collatus in alia parte, quam in capite. (Q. 3.)

Art. II. De Forma Baptismi. Principia. I.—Quaenam sit forma Sacramenti Baptismi. II.--Ut forma Baptismi sit valida, haec omnia significari debent: 1.^o persona, quae baptizat: 2.^o actus baptizandi: 3.^o persona, quae baptizatur: 4.^o invocatio S S. Trinitatis: 5.^o unitas divinae naturae: 6.^o distinctio divinarum personarum. III.--Significatio seu sensus formae aestimatur ex verbis ipsis, ex eorum sintaxi, et ex pronuntiatione. Tantum si aliquod ambiguum aut aequivocum est, spectanda erit mens proferentis, uti si nomen addas B Virginis.—*Quaesita.—*An vox *Amen* ad integritatem formae spectet.--An valida sit forma Baptismi, si demas pronomen *ego*, vel conjunctionem *et*, vel particulam *in*.--An si dicas: “Ego te baptizo in nomine Sanctissimae Trinitatis,.”--An in nomine Jesu Christi.--An valeat forma, si addas et in nomine B. M. Virginis.

LECTIO. 3.^a C.

Cap. III. De Ministro Baptismi, et de solemnitatibus accessoriis hujus Sacramenti.—Art. I. De Ministro Baptismi. “Minister Baptismi dicitur ille, qui nomine Christi Sacramentum conficit. Duplex est: alius *solemnitatis*, alius *necessitatis*. Minister solemnitatis iterum duplex: *ordinarius* et *extraordinarius*.—*Principia*. I.--Quisnam est minister ordinarius Baptismi solemniter vi ordinationis, seu *jure divino*. II.--Quisnam est minister ordinarius hujus solemniter Baptismi *jure ecclesiastico*. “Solus Parochus. Unde P. IV., III.—Quisnam est minister extraordinarius Baptismi solemniter. “Unde non licet Diacono solemniter baptizare, nisi commissionem à Parocho acceperit; neque Parocho licet facultatem illi committere, nisi fuerit graviter impeditus., IV.--Quisnam est minister Baptismi non solemniter, seu necessitatis.—*Quaesita*. Circa II.--An Parochus possit baptizare extra suam parochiam, vel intra eam non sibi subditos.—Quid si mulier casu pariat in pago non suo.—Quid de praeegrinis et vagis.--Quid de advenis, qui domicilium jam contraxerunt.—Quando Sacerdos, non Parochus, licite baptizare potest.--An etiam Religiosi possint baptizare. *Ordo inter Ministros*--Qui ordo servandus sit, quando plures Ministri sunt praesentes baptismo.--An, et quando violatio ordinis grave peccatum constituat. “1.^o Si, praesente Parocho, baptizet Sacerdos: 2.^o si, praesente Sacerdote, baptizet laicus: 3.^o si, praesente quovis alio, baptizet pater aut mater.,--An peccet graviter laicus baptizans coram Diacono.

LECTIO 4.^a C.

Art. II. De solemnitatibus accessoriis Baptismi. (n. 250.) “Minister Baptismi solemniter, ut hoc Sacramentum licite ministrare valeat, tenetur cum primis illud conferre in statu gratiae, et praeterea modo debito ab Ecclesia praescripto. Ad hoc necesse est, ut Baptismus ministret: 1.^o cum assistentia patrini: 2.^o in Ecclesia: 3.^o cum aqua baptismali. 4.^o solemniter, id est, adhibitis ritibus et ceremoniis ex Rituati Romano. Agendum est de singulis.—§. I. *De Patrinis*.--Quisnam dicuntur patrinus in administratione Baptismi. “De illis ita Concilium Tridentinum: *Statui S. Synodus, ut unus tantum, sive vir, sive mulier juxta Sacrorum Canonum statuta, vel ad summum unus et una baptizatum de sacro fonte suscipiant.*—*Principia*. I.--An Patrinus in Baptismo solemniter sint de praecepto, et quot assistere debent. II.--Patrinum aut patrinos baptizando designare, parentum ipsius est: quod si hi neminem aut non idoneum designaverint, Parochi. III. Patrinus duo contrahunt: 1.^o cognationem spiritualem:

2.^o obligationem instruendi baptizatum circa fidem et mores. Verum ut duo haec contrahere possint, necesse est ut *valide* patrini sint. IV.--Quaenam requiruntur, ut quis vere seu valide sit patrinus. (P. II.) V.--Quinam prohibeantur esse patrini, licet tales valide esse possint. (Q. 5.)—*Quaesita*.--An patrini possint esse duo mares, aut duae feminae. (Q. 3.)--An patrinus masculi, si unicus sit, debeat esse masculus, et feminae femina.--An in Baptismo privato patrinus necessario adhiberi debeat.—§. II. *De Ecclesia*. (n. 253--3.) Ordinarie, et secluso privilegio, Baptismus conferendus est in Ecclesia parochiali, vel alia ubi jus fontis est.—Quale peccatum sit baptizare extra Ecclesiam.—§. III. *De aqua baptismali, seu consecrata*.—Quaenam sit materia licita Baptismi solemnis.--Quale peccatum sit baptizare cum aqua non consecrata. (253--2.)--Quid si agatur de Baptismo non solemni.--Quando benedictio fontis baptismalis fieri debeat, et quibus oleis in ejus benedictione sit utendum. “Benedictio fieri debet tantum in Sabbato sancto et in Vigilia Pentecostes. Olea in benedictione adhibenda debent esse nova, id est, anno currenti benedicta.”—Quid si in Sabbato sancto Parochus olea nova sibi comparare non potuerit. (n. 254--2.)—§. IV. *De ritibus et ceremoniis*. “Ritus ab Ecclesia prescripti in solemni administratione Baptismi, plurimi numerantur; ex quibus alii Baptismum praecedunt, alii subsequuntur. Praecedunt: 1.^o impositio nominis: 2.^o catechesis: 3.^o exorcismi: 4.^o renunciatio: 5.^o professio fidei, et 6.^o unctiones Olei. Subsequuntur: 1.^o unctio Chrismatis: 2.^o impositio vestis albae, et 3.^o traditio candelae accensae.—*Principium*.--Mortale est omittere ceremonias omnes Baptismi, aut aliquam ex his notabilem. (n. 252. Art. II.)—*Quaesita*.--An mortale sit baptizare sine Chrismatis unctione. (R. 1.)--An sine unctione olei catechumenorum. (4.)--Quibus oleis utendum sit in unctionibus faciendis.—Quomodo intelligenda sit prohibitio utendi chrismate veteri. (Q. 2.)—Quid si Parochus olea nova non acceperit. (Ibi--2.)--An interrogationes, quae patrinis faciendae sunt, lingua vernacula fieri possint. (Q. 3.) An si Baptismus solemnis deprehendatur invalidus, etiam ceremoniae repetendae sint. (Q. 1.)

LECTIO 5.^a C.

Cap. IV. De subjecto Baptismi, et de iteratione hujus Sacramenti.
—*Art. I. De subjecto Baptismi, et de ejus requisitis seu dispositionibus.* “Subjectum Baptismi intelligitur ille, qui hoc Sacramentum suscipit, et est capax ipsius effectus.”—*Principia*. I. Subjectum Baptismi est omnis et solus homo viator, etiam infantes, et quidem etsi nondum in lucem editi. II. In adultis baptizandis, ad valorem Baptismi requiritur intentio saltem habitualis; ad licitudinem seu

ad effectum gratiae requiritur dolor de peccatis. Amplius, adultum, etiam volentem, necesse est probare, et in doctrina fidei instruere.

III. In dubio de capacitate subjecti, nempe, an sit homo, vel an vivat, baptismus conferendus est sub conditione. *An sit homo*, uti in monstris: *an vivat*, uti in foetibus abortivis. Verum de his seorsim.

I DE MONSTRIS. Monstrua dicuntur, qui deficiunt à forma humana. Sunt duplicis classis: vel cum membris ferinis, et ideo dubitatur, an sit homo; vel cum membris humanis, sed geminatis, et tunc dubitatur, an sit unus homo vel plures.—*Principia*. I.--Quoad monstrua primae classis. Si caput et pectus sint humana, absolute: si vero caput ferinum sit, licet reliqua membra sint humana, sub conditione erit baptizandum. II.--Quoad monstrua secundae classis haec tenenda sunt: 1.^o Si unum sit caput et unum pectus, licet quatuor sint brachia vel pedes, unus est homo, unusque proinde baptismus conferendus. 2.^o Si duo capita et duo pectora, duo homines judicantur, duoque baptismata absolute dari debent. 3.^o Si duo capita et unum pectus, datur unum baptismum absolute super unum caput, aliudque conditionate super secundum caput his verbis: *Si tu es alius homo, ego te baptizo.....* 4.^o Si unum sit caput et duo pectora, primo caput baptizandum est absolute: deinde infunditur aqua super duo pectora, dicendo: *Si es alius homo.....* (n. 249. Nota.)

II. DE FOETIBUS. Foetus abortivus dicitur, qui ab utero egreditur ante tempus partui destinatum, et quidem adhuc immaturus seu non vitalis. Circa baptismum foetuum haec regulae sunt tenendae: 1.^a Si foetus habeat humanam, formam et det aliqua signa vitae, baptizandus est absolute. 2.^a Si solum in illo appareant indicia aliqua, tum humanitatis tum vitae, sub conditione baptizandus erit. 3.^a Si fuerit informis productio absque ulla organorum dispositione, etiam baptizandus est sub conditione, nisi forte jam exhibeat manifesta signa putrefactionis. Porro tunc solum spes vitae ex integro abest, si foetus in putredinem abire jam inceperit.—*Quaesita*.--An valide baptizentur plures simul hac forma: *Ego vos baptizo....* (n. 247. R. 4.)--An licite possint baptizari filii infidelium sine consensu suorum parentum.

Art. II. De iteratione Baptismi. “Iteratio hic sumitur lata significatione, videlicet, pro iteratione seu repetitione materiae et formae, non vero pro iteratione Sacramenti, quod semel valide susceptum, nequit iterari.—*Principia*. I.--An Baptismus aliquando repeti possit. (Q. 2.) II.--An in hoc casu, nempe, dubii prudentis non solum repeti possit, sed etiam debeat.—*Quaesita*.--An infantes expositi sint baptizandi, et quomodo.--An infantes, sive ab obstetricibus, sive à laicis baptizati.—An baptizati ab haereticis.

LECTIO 6.^a C.

APPENDIX. *De operatione caesarea.*—Quid dicitur operatio caesarea.—Quae praecipuae quaestiones circa illam occurrunt.—*Quaestio I.*--*An vel quando operatio caesarea fieri possit.*—*Principia.* I.--An fieri possit, matre mortua.—Quae cautelae adhibendae sint in hoc casu. II.--An fieri possit, vivente matre. III.--Quid si absit periculum proximum mortis matris.—*Quaestio II.*--*An, vel quando operatio caesarea fieri debeat.*—*Principia.* I.--An fieri debeat mortua matre.—Quid si cognoscatur matrem à brevi tempore esse gravidam.--Quae cautelae adhibendae. II.--An aliquando facienda sit operatio, etiam vivente matre.--An in hoc casu mater teneatur operationem pati.—Quare dicitur *per se et speculative loquendo.*—*Quaesita.*--An mater teneatur subire operationem, si modica tantum spes affulgeat servandae prolis.—Quid, si iudicetur, mortua matre, foetum supervivere.—Quid, si infans certo baptizari possit in utero matris.--An mater teneatur operationem pati, si, illa omissa, ipsa sola iudicetur peritura.

LECTIO 7.^a C.

Epilogus hujus Tractatus.

TRACTATUS.

DE CONFIRMATIONE.

(in quatuor capita divisus.)

1.^o De natura: 2.^o de materia et forma: 3.^o de Ministro: 4.^o de subjecto Confirmationis.

LECTIO. 1.^a D.

Cap. I. De natura Sacramenti Confirmationis. "Sacramentum Confirmationis est veluti consummatio et perfectio Baptismi; ideo secundum Sacramentum est in ordine vitae spiritualis. I. DEFINITIO. —Quid est Sacramentum Confirmationis.--An sit vere et proprie Sacramentum, et à Baptismo distinctum. II. INSTITUTIO.—An hoc Sacramentum institutum fuerit à Christo, et quando. III. EFFECTUS. —Effectus Sacramenti Confirmationis duo sunt: gratia, et character. Gratia, *qua sanctificans*, auget gratiam et sanctificationem: *qua sacramentalis*, roborat in fide. (*Eugenius IV. in Decreto Unionis.*) Character duo praestat: subjectum insignit, et illum idoneum reddit, tum ad profitendam fidem, tum ad Ordines suscipiendos. IV. NECESSITAS. (n. 270.)--An Sacramentum Confirmationis sit necessarium ad salutem, et quo sensu.

LECTIO 2.^a D.

Cap. II. De materia et forma Confirmationis.—Art. I. De materia. "Ecclesia in administratione hujus Sacramenti duplici materia utitur, nempe, impositione manus et chrismatis unctione. Utra sit substantialis; an illa tantum, an haec tantum, an utraque, controversatur. Probabilius et communius utraque sacramentalis est. Unde materia *remota* est, tum chrisma, tum manus Episcopi: materia *proxima* unctio chrismatis una cum impositione manus. Chrisma est oleum olivarum balsamo mixtum, et ab Episcopo benedictum. Quoad impositionem manus notandum est Episcopum bis manus imponere in confirmandos: primum initio sacrae functionis modo quidem generali seu in omnes indiscriminatim; deinde cum singulos in fronte ungit sancto chrismate. Haec, non illa impositio manus materia Sacramenti est.—*Quaesita. Circa Chrisma.*--An ad valorem Sacramenti oleum debeat necessario esse olivarum. (Q. 4.)--An balsamo mixtum.--An ab Episcopo benedictum.--An illius anni. *Circa unctionem et impositionem manus.*—Quomodo unctio fieri debeat.--An valida sit unctio, si fiat manu sinistra Episcopi, vel

alio digito quam pollice.--Quid si fieret medio instrumento.

Art. II. De forma Confirmationis.—Quaenam est forma Sacramenti Confirmationis in Ecclesia Latina.—Qualis sit sensus verborum hujus formae.—Qua forma utitur Ecclesia Graeca.--An haec forma apud Graecos usitata, sit valida.--Quaenam verba formae Ecclesia Latinae sint essentialia. “Probabilius videtur ea tantum, *Confirmo te chrismate salutis*, substantialia esse. Priora enim characterem significant, quem forma significare non solet; posterioribus non utitur Ecclesia Graeca,,.

LECTIO 3.^a D.

Cap. III. De Ministro Confirmationis.—*Principia.* I.--Quisnam est Minister ordinarius hujus Sacramenti. II.--An simplex Sacerdos confirmare possit tanquam Minister extraordinarius, et qua delegatione. III.--Quandonam Episcopus teneatur hoc Sacramentum ministrare. (Q. 3.)—*Quaesita.* *Circa* I.--An Episcopus possit confirmare fideles non subditos. *Circa* II.--An Papa etiam simplici Sacerdoti delegare valeat potestatem conficiendi chrisma. *Circa* III.--An peccet graviter Episcopus omittens confirmare moribundum petentem Sacramentum.

LECTIO 4.^a D.

Cap. IV. De subjecto Confirmationis.—*Principia.* I.—Quisnam est subjectum Sacramenti Confirmationis. II.--An pueri nondum usum rationis habentes. III.--Quaenam dispositiones in confirmandis requiruntur.—*Quaesita.*--An confirmandus debeat esse jejunos.—Quid de iteratione hujus Sacramenti. (Q. 2.) “Insuper in Confirmatione, sicut in Baptismo, adhibendi sunt patrini, qui pariter cognationem spiritualem contrahunt, et obligationem erudiendi confirmatum. Attamen non duo adhiberi possunt; sed unus tantum, et ejusdem sexus ac confirmandus.

LECTIO 5.^a D.

Epilogus hujus Tractatus.

TRACTATUS.

DE EUCHARISTIA.

Eucharistia definitur: "*Fidei nostrae mysterium, quo sub speciebus panis et vini, verbo consecratis, ipsemet Christus offertur, continetur, et sumitur.* Hoc mysterium Sacramenti et Sacrificii vim habet: *Sacrificii*, dum conficitur, sen *in fieri*: *Sacramenti*, postquam confectum est, seu *in facto esse*, et praecipue dum sumitur. Hinc divisio totius Tractatus in duas partes: 1.^a de Eucharistia, prout est Sacramentum: 2.^a de Eucharistia, prout est Sacrificium.

PARS I.

DE EUCHARISTIA, UT SACRAMENTO.

(in quatuor capita divisa.)

1.^o De natura. 2.^o de materia et forma: 3.^o de Ministro: 4.^o de subjecto Eucharistiae

LECTIO 1.^a E.

Cap. I. De natura Sacramenti Eucharistiae. I. DEFINITIO.—Quid est Eucharistia, ut Sacramentum.—*Principia.* I. In Sacramento Eucharistiae Christus est vere, realiter et substantialiter praesens. II. In Sacramento Eucharistiae Christus fit praesens per transsubstantiationem. Transsubstantiatio definitur realis conversio totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini. III. In Sacramento Eucharistiae *vi verborum*, seu Sacramenti corpus Christi ponitur sub specie panis, et sanguis sub specie vini. Verum, quia corpus Christi est vivum, omnesque Christi partes sunt inseparabiles, *vi concomitantiae* in specie panis ponitur etiam sanguis, et in specie vini ponitur etiam corpus; et in utraque ponitur anima *vi unionis naturalis*; et divinitas *vi unionis hypostaticae*: atque ideo totus Christus continetur sub unaquaque specie. Insuper, quia Christus existit sub utraque specie ad instar naturae seu substantiae panis et vini, totus est sub singulis cujusque speciei partibus: et hoc de fide est, facta separatione, id est, hostia fracta, vel calice in partes diviso. IV. In Sacramento Eucharistiae, peracta consecratione, est corpus et sanguis Domini Nostri Jesu--Christi, et non tantum in usu, dum sumitur, sed ante et post.—*Quaesita.*--Quandiu Christus maneat realiter praesens in Eucharistia.—Quandiu sacrae species

censeantur remanere integrae post Sacramenti sumptionem.--An Eucharistia sit unicum vel duplex Sacramentum.--In quo sita sit essentia Sacramenti Eucharistiae. "Tota ratio hujus Sacramenti consistit in speciebus panis et vini consecrati; non vero in consecratione neque in perceptione, quae Sacramenti rationem non habent. Unde Eucharistia differ à Sacramentis reliquis in eo, quod cetera consistunt in actu transeunte, hoc in re permanenti: in aliis substantia materiae non immutatur, in hoc substantia panis et vini convertitur in corpus et sanguinem Christi. II. INSTITUTIO.--An vel quando Christus Sacramentum Eucharistiae instituerit. III. EFFECTUS.—Quinam sint effectus Sacramenti Eucharistiae. "Praecipuus Eucharistiae effectus est augmentum gratiae santificantis: est enim Sacramentum *vivorum*. At gratia haec, qua sacramentalis alios miros effectus producit, praesertim vero sequentes: 1.^o animam cibatur et nutrit, juxta verba Christi, *Caro mea vere est cibus*. 2.^o intime cum Christo nos unit, juxta illud. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo*. 3.^o jus speciale ad gloriam tribuit, juxta verba illa. *Qui manducat meam carnem..... habet vitam aeternam*. 4.^o gratias actuales uberrimas elargitur, quibus liberamur à culpis quotidianis, et à peccatis mortalibus praeservamur.--An aliquando Eucharistia peccatum mortale delere possit. (Q. 5.)

LECTIO 2.^a E.

Cap. II. De materia et forma Eucharistiae.—Materia et forma Eucharistiae communes sunt Sacramento et Sacrificio: ex illis enim utrumque perficitur.—*Art. I. De materia Eucharistiae.* 1.^o De materia remota: 2.^o de conditionibus materiae ad validam et licitam consecrationem. §. *I. De materia remota.*--*Principia.* I. Duplex et distincta est materia remota Sacramenti et Sacrificii Eucharistiae, nempe, *panis et vinum*. II. Panis ad valorem Sacramenti et Sacrificii debet esse: 1.^o triticeus: 2.^o subactus aqua naturali: 3.^o coctus igne puro. Vinum autem debet esse: 1.^o de vite: 2.^o potabile. III. Materia licita consecrationis pro Sacerdotibus Latinis est solus panis *azymus*, pro Graecis vero panis *fermentatus*. Deinde in calice offerendo permiscenda est vino aqua modicissima,—*Quaesita. Circa II.*—An sit materia valida panis confectus ex siligine (centeno)--An ex farre seu spelta (cebada)--An panis tam azymus quam fermentatus.--An vinum congelatum sit materia valida.—*Circa III.*--An permixtio aquae in calice sit de necessitate Sacramenti. (P. III.)—Quaenam quantitas aquae sit immiscenda. (Q. 6.)

§. *II. De conditionibus materiae ad validam et licitam consecrationem.*—*Principia.* I. Sacramentum et Sacrificium Eucharistiae

conficitur consecratione, quae fit his verbis: *Hoc est corpus meum. Hic est calix.*.... Porro pronomina *hoc* et *hic* utpote demonstrativa, et determinativa significant rem: 1.^o praesentem: 2.^o prope positam: 3.^o certam et determinatam in individuo; quae omnia ad validam consecrationem requiruntur. II.--Ad licitudinem consecrationis requiritur: 1.^o ut materia consecranda sit decens et munda: 2.^o ut sit reposita in petra altaris et in corporali: 3.^o ut ciborium vel calix consecrandus sit discoopertus: 4.^o ut offeratur et benedicatur ante consecrationem: 5.^o ut consecratio fiat tempore Canonis, servatis rubricis Missalis Romani.—*Quaesita. Circa I. Materia debet esse praesens.*--An valide consecrentur hostiae sub aliis latentes, vel vinum in calice velo aut palla cooperto. (R. 1.)--*Materia debet esse certa et determinata in individuo per intentionem Ministri.*--An valida sit consecratio, si Sacerdos putet unam tantum hostiam consecrandam adesse, cum sint duae vel plures. "Ratio est, quia sufficit ut intentio sit determinata quoad totam materiam, quam praesentem habet, licet illius quantitas aut numerus ignoretur,."—Quid facere debeat Sacerdos, si advertat. (R. 2.)--An valide consecrentur hostiae à Sacerdote vel ab alio ad altare allatae, et de quibus expresse non cogitat, dum consecrat. (R. 3.)—Quid si allatae fuerint ad altare, inscio Sacerdote. (R. 4.)--An censendum sit consecratum ciborium ex oblivione extra corporale relictum. (Q. 1.)—Quid agendum sit in hoc casu, et in quovis alio dubiae consecrationis. "Hostiae dubie consecratae reverenter tractandae sunt; at nullomodo possunt adorari quasi vere consecratae, neque populo distribui communicandae; sed vel denuo consecrandae erunt sub conditione in alia Missa, vel à Celebrante absumi debent post sumptionem calicis, et ante purificationem,."—An censeatur consecratum ciborium positum quidem in corporali, sed quod ex oblivione remansit clausum tempore consecrationis.--An guttae vini inhaerentes calici, et fragmenta seu micae panis ab hostia separatae. *Circa II.--Materia debet esse decens et munda.*—Quale sit peccatum consecrare hostiam fractam vel maculatam.--An peccet graviter Sacerdos consecrans in vino acescente. (n. 279. Q. 4.)--*Materia debet benedici et offerri ante consecrationem.*—Quid si, facta oblatione, hostiae minores afferantur consecrandae. (R. 5.) "Si paulo post oblationem, admitti possunt ex causa justa, qualis esset commoditas communicantium. Si, Praefatio incepto et ante Canonem, ex causa gravi, qualis esset necessitas communicandi infirmum. Denique si afferantur, Canone jam incepto, non possunt admitti etiam ad infirmum communicandum, cui potius particula ex hostia Missae tradenda est.,"

Art. II. De forma Eucharistiae.—Principia. I.—Quotuplex est forma Sacramenti et Sacrificii Eucharistiae. II.—Quaenam est forma pro consecratione panis.—Quaenam est forma pro consecratione vini. III. "Verba consecrationis necessario significare debent: 1.^o

rem praesentem et determinatam: 2.^o transsubstantiationem in instanti: 3.^o in facto esse, et non in fieri. Itaque nulla erit forma ex primo capite, si dicas *illud* vel *aliquid*; ex secundo, si omittas verbum *est*; ex tertio, si ponas *fiat*.,. IV.—Verba consecrationis proferri debent, non historice tantum, sed in persona Christi *formaliter*; et simul *assertive*, *significative* seu *consecrative*. Ratio est, quia Sacerdos non tantum *narrat*, sed *facit*, quod Christus fecit, et quidem in persona ipsius Christi.—*Quaesita*.—An valida sit consecratio, si dicas: *Hic cibus est corpus meum*.—An si dicas: *Hic* adverbialiter, vel *Hoc corpus est meum*.—Quid si dicas: *Haec est caro mea: Illud est corpus meum*.—An valeat forma, si taceas verbum *est*. (Q. 4.)—An in consecratione calicis sola haec verba: *Hic est calix Sanguinis mei*, sint de essentia formae. (Q. 3.)—An sint essentialia illa verba antecedentia: *Qui pridie quam pateretur... et simili modo...* An, vel quale peccatum sit mutatio aliqua accidentalis in forma consecrationis, uti v. g. omissio vocis *enim*. (Q. 1.)

CAPUT III.

DE MINISTRO EUCHARISTIAE.

(in tres articulos divisum.)

1.^o De potestate Ministri: 2.^o de requisitis in Ministro: 3.^o de Officio Ministri.

LECTIO 3.^a E.

Art. I. De potestate Ministri.—Minister Eucharistiae est duplex: alius *consecrationis*, alius *dispensationis*. Primus est, qui S S. Eucharistiam conficit aut consecrat; alter, qui illam dispensat aut distribuit fidelibus. Rursum minister dispensationis vel est *ordinarius*, vel *extraordinarius*. Insuper minister ordinarius est talis, vel vi ordinationis, seu *jure divino*, vel vi jurisdictionis, seu *jure ecclesiastico*.—*Principia*. I.—Quisnam est Minister consecrationis Eucharistiae. II.—Quisnam est Minister ordinarius dispensationis *jure divino*, seu vi ordinis. III.—Quisnam est Minister ordinarius dispensationis *jure ecclesiastico*, seu vi jurisdictionis. IV.—Quisnam est Minister extraordinarius dispensationis.—*Quaesita*. *Circa III.*—An vel quando censetur Parochum concedere licentiam ministrandi Eucharistiam. (P. IV.)—An vel quando religiosi Eucharistiam ministrare possint sine licentia Parochi. (Q. 2.)—*Circa IV.*—Quaenam requirantur, ut Diaconus Eucharistiam possit dispensare. (Q. 1.)

Art. II. De requisitis in Ministro Eucharistiae. (n. 294.)—*Principia*. I. In Ministro consecrationis Eucharistiae, cum illam suscipere

debeat, requiruntur dispositiones tum quoad animam, tum quoad corpus. Quoad animam requiritur status gratiae; quoad corpus, ut sit jejunus. II. In Ministro dispensationis *probabilius et communius* requiritur etiam ut sit in statu gratiae. III. Minister tum consecrationis, tum dispensationis immunes debent esse ab omni censura. (n. 294.) (Quaesita circa I. ubi de subjecto.)

LECTIO 4.^a E.

Art. III. De officio Ministri Eucharistiae. Minister Eucharistiae tenetur: 1.^o Sanctissimam Eucharistiam quandoque consecrare: 2.^o illam aliquando dispensare: 3.^o eam asservare: 4.^o denique haec omnia facere modo et ritu ab Ecclesia praescripto. De obligatione consecrandi agendum erit infra, ubi de Sacrificio Missae. Hic agimus: 1.^o de obligatione Eucharistiam dispensandi et asservandi: 2.^o de modo et ritu, quo ministrari: 3.^o de modo et ritu, quo asservari debeat.—§. I. *De obligatione Eucharistiam dispensandi et asservandi.* Obligatio ministrandi Eucharistiam oritur vel ex officio et jurisdictione, uti in his, qui curam habent animarum, vel ex sola ordinatione, uti in ceteris Sacerdotibus. Hinc: *Principia.* (n. 291.) I.—An vel quando habentes curam animarum tenentur Eucharistiam subditis ministrare. II.—An vel quando teneantur ceteri Sacerdotes. III.—Quoad asservationem S. Eucharistiae, de praecepto servanda est: 1.^o in Ecclesiis Cathedralibus: 2.^o in qualibet Ecclesia parochiali, ut opportune petentibus dari possit. (n. 309.)—*Quaesita.*—An Parochus teneatur etiam investigare infirmos Eucharistiam non petentes.—An per se ipsum ministrare.—An cum periculo vitae tempore pestis.—An peccet graviter, quoties Eucharistiam denegat rationabiliter petenti.—Quandonam Parochus censeatur excusari ab Eucharistia subditis petentibus ministranda. *Circa* III.—An Eucharistia servari possit in aliis Ecclesiis, quam in Cathedralibus et parochialibus. (n. 309.)

LECTIO 5.^a E.

§. II. *De modo et ritu Eucharistiam ministrandi.*—Eucharistia ministrari potest vel sanis in Ecclesia, vel infirmis in propria domo. Seorsim.—*Punct. I. De administratione Eucharistiae in Ecclesia.* Eucharistia in Ecclesia potest administrari vel à Sacerdote Missam celebrante, vel extra Missae celebrationem.—*Principium* I. Communio intra Missam dari potest in omnibus Missis, excepta ea, quae celebratur in nocte Nativitatis Domini, et nisi aliud ferat usus, excepta etiam Missa Sabbati Sancti. (Q. 5.)—*Quaeres.*—An Commu-

nio dari possit cum paramentis nigris intra Missam *de Requiem*. (Q. 8.)—*Principium* II.--Communio in Missa danda est, generatim loquendo, in quantum fieri potest, post communionem Sacerdotis; sed ex rationabili causa, licet levi, etiam dari potest immediate ante vel post Missam. (Q. 6.)—*Quaeres*.—Quaenam causa censeatur sufficiens. (Ibi.)--An communio dari possit cum paramentis nigris immediate ante vel post Missam defunctorum. (Q. 7.)--An cum paramentis violaceis. (Q. 9.)—*Principium* III.—Quo modo et ritu ministranda sit communio immediate ante vel post Missam. (Q. 10.)—*Quaeres*. An communicantes benedici debeant, si communio detur ante vel post Missam *de Requiem* (Q. 7.)—*Principium* IV.--Extra Missae celebrationem licet Eucharistiam administrare qualibet die, excepta feria 6.^a in Parasceven, et Sabbato Sancto ante Missam.—*Quaeres*.—Qua hora communio extra celebrationem Missae dispensari possit. (Q. 5.)—*Principium* V.--Quo modo et ritu communio extra Missam ministranda sit (Q. 10 Resp. 2.)--Insuper communio praebenda est pollice et indice, qui sunt digiti consecrati.—*Quaeres*.--An versiculi et Oratio sint de praecepto. (Q. 10.)--An si minister Sacerdoti desit, vir communicaturus, vel mulier supplere possint. (Q. 11.)--An vel quomodo peccet, qui extra casum necessitatis distribuit communionem sine ulla veste sacra. (n. 295. R. 3.)—Quale peccatum sit ministrare Eucharistiam sine lumine, vel sine praemissa ministri confessione, *Confiteor*. (4.)--An Sacerdos laborans infirmitate in pollice et indice, Eucharistiam aliis digitis ministrare possit. (Q. 10.) An tempore pestis liceat Eucharistiam porrigere medio aliquo instrumento. (n. 306. Q. 5.)—*Quaesita alia extra Principia*.—Quid faciendum, si Hostia in terram decidat. (Q. 2.)—Quid, si decidat in vultum, barbam, aut vestes communicantis, (Q. 3.)—Quid si decidat in sinum vel intra vestes mulieris. (Q. 4.)--An dari possint plures particulae uni communicanti, vel una major devotionis gratia. (Q. 12.)--An particulae frangi possint, si deficient. (Q. 13.)—Quid agendum, si supersint, nec sit tabernaculum, in quo reponantur.--An deficientibus Hostiis minoribus, possit Sacerdos detrahere partem Hostiae majoris ad fideles communicandos. (Q. 14.)

LECTIO. 6.^a E.

Punct. II. De administratione Eucharistiae infirmis in propria domo. “Infirmi communicare possunt in domo propria vel ex devotione, vel ex paecepto paschali, vel per modum Viatici in articulo mortis.”—*Principia*. I.--Quaenam in cubiculo infirmi praeparanda sint. II.--Quomodo S. Euchristia deferri debeat ad domum infirmi. “*Manifeste et honorifice*.” III.--Quo ritu ministranda sit communio. IV.--Quomodo regrediendum sit ad Ecclesiam, si remaneant par-

ticulae in ciborio. “*Manifeste, et honorifice, ut supra.*” V. Quid denique in Ecclesia fieri debeat, antequam Sanctissimus reservetur. —*Quaesita.*--An imminente morte, preces omitti possint. (P. IV.)--An Eucharistia deferri possit infirmis nocte.--An secreto.--An capite cooperto.—Quid si Sacerdos rheumate vel alia infirmitate laboret.—Quisnam concedere potest usum pileoli.--An insidens equo.--An urgente necessitate, liceat Viaticum ministrare sine ulla veste sacra. An liceat currere.--An pluries deferri possit Eucharistia infirmis non jejunis, seu per modum Viatici.--Qua frequentia deferri possit.—Quomodo Sacerdos se gerere debeat, si ad infirmum cum S S. Sacramento adveniens, ejusque confessionem excipiens, eum indispositum invenerit.

LECTIO 7.^a E.

§. III. *De modo et ritu Eucharistiam asservandi.*—*Principia.* I. Eucharistia asservanda est in tabernaculo. II. Eucharistia reposita esse debet in pixide vel ciborio. III. Coram tabernaculo Sanctissimi lampades plures, vel saltem una diu noctuque perpetuo collucere debent. IV. Eucharistia renovanda est frequenter, ne species consecratae corrumpantur.—*Quaesita.* *Circa I.*--Quale tabernaculum esse debeat. (P. II.)--An aliae res sacrae in tabernaculo reponi possint. *Circa II.*--Quale debeat esse ciborium seu pixis. (P. II.)--An ciborium debeat consecrari.--An debeat esse argenteum. *Circa III.*--An requiratur oleum olivarum ad lampadem Sanctissimi nutriendam. An peccet graviter, qui negligit asservare lampadem accensam. *Circa IV.*--Qua frequentia renovandae sint particulae consecratae (Q. 8.)—Quomodo renovatio fieri debeat. (Q. 9.)—Quales debeant esse particulae consecrandae.--An Sacerdos possit purificare ciborium, et sumere reliquias, si ex inadvertentia sumpserit prius ablutionem. (Ibi.)—*Quaesita alia extra Principia.*--An reservanda sint in tabernaculo fragmenta Hostiarum, quae reperiuntur. (Q. 5.)—Quid faciendum, si laicus fragmenta inveniat. (Resp. 3.)—Quid, si inveniatur in altari, vel alibi Hostia certo vel dubie consecrata.—Quid, si infirmus sacras species rejecerit.

LECTIO 8.^a E.

Cap. IV. De subjecto Sacramenti Eucharistiae.—Quisnam est subjectum Sacramenti Eucharistiae. “*Dicitur sacramentaliter, quia cum Eucharistia consistat in re permanenti, nempe, in speciebus consecratis, quilibet, etiam non baptizatus, has species sumere potest; verum tantum materialiter.*” Hinc Eucharistia seu species

consecratae tripliciter sumi possunt, *materialiter tantum, sacramentaliter tantum, et sacramentaliter ac spiritualiter simul*. Agendum est: 1.^o de necessitate suscipiendi Eucharistiam: 2.^o de dispositionibus requisitis ad illam digne suscipiendam.—*Art. I. De necessitate suscipiendi Eucharistiam.—Principia. I.* Sumptio *realis* Eucharistiae neque parvulis, neque adultis est necessaria ad salutem necessitate *medii, saltem absoluta*. Ratio, quia est Sacramentum vivorum. Attamen dicitur: 1.^o sumptio *realis*; nam sumptio sive manducatio *spiritualis*, quae consistit in unione cum Christo per gratiam, omnibus necessaria est. Verum haec unio spiritualis obtinetur per Baptismum et Poenitentiam. Dicitur: 2.^o *necessitate medii, saltem absoluta*; quia de lege ordinaria sumptio *realis* Eucharistiae est medium à Christo dispositum pro fidelibus adultis ad vitam spiritualem conservandam juxta illud Joannis. cap. 6. *Nisi manducaveritis...* II. Sumptio *realis* Eucharistiae necessaria est omnibus adultis necessitate praecepti tum divini, tum ecclesiastici. III. Praecepto Eucharistiam suscipiendi satisfit per solam communionem sub specie panis; atque ideo sumptio sub utraque specie non est necessaria ad salutem nisi pro solis Sacerdotibus in actu celebrationis Missae. IV. Praeceptum divinum communicandi obligat *per se* in articulo mortis et saepius in vita. Praeceptum ecclesiasticum obligat semel in anno, ad minus in Pascha. V. Praeceptum tum divinum, tum ecclesiasticum Eucharistiam suscipiendi, obligat omnes fideles utriusque sexus, qui *reverenter* Sacramentum suscipere valeant; ad quod duo haec necessaria sunt: *aetas discretionis*, ut distinguere possint hunc panem coelestem à terreno, et *devotio aliqua, saltem externa*, qua citra omnem irreverentiam, et aliorum offensionem S. Eucharistiam valeant recipere.—*Quaesita.—Circa IV.*—Quoties in vita obligat praeceptum divinum communicandi. (Q. 1. Resp. 2.) An vel quando hoc praeceptum obliget *per accidens*. (Ibi.) An teneatur quis suscipere Viaticum instante mortis periculo, si paucis ante diebus ex devotione communicaverit.—Quid, si communicavit mane ejusdem diei. *Circa V.*—An possit dari Eucharistia aegro, qui tussi laborat.—An qui laborat vomitu.—An dari possit in articulo mortis pueris, qui nondum ad Sacram Synaxim admissi sunt.—Quandonam pueri praecepto sumendae Eucharistiae obligentur. (Nota.)—An vel quando communio danda sit amentibus.—An vel quando danda sit semifatuis.—An dari possit delirantibus.—An destitutis sensibus.—An surdis mutis.—An obsessis.—An epilepticis.—An capite damnatis.

LECTIO 9.^a E.

Art. II. De dispositionibus requisitis ad Eucharistiam digne sus-

cipiendam.--Ad S. Eucharistiam digne suscipiendam requiruntur dispositiones tum quoad animam, tum quoad corpus. Seorsim.—
§. I. *De dispositionibus requisitis quoad animam.*—Duplex dispositio requiritur ex parte animae: alia *remota*, qua subjectum instructum sit oportet, antequam ad Eucharistiam accedat; alia *proxima*, quam procurare debet, cum jamjam est communicaturum. Illa requiritur, ut *digne*; haec, ut *fructuosius* S. Eucharistiam suscipiat. De singulis. —*Punct. I. De dispositione remota.*—
Principia. I.--Ad Eucharistiae Sacramentum digne suscipiendum requiritur status gratiae. Constat: 1.^o quia est Sacramentum vivorum: 2.^o ex verbis Apostoli. II. In his, qui conscientiam peccati mortalis habent, non sufficit ut statu gratiae acquiratur per contritionem, sed requiritur ut praemittatur confessio et absolutio sacramentalis. Constat ex Tridentino sess. 13. cap. 7. ubi ait. *Nemo peccati mortalis sibi conscius, quantumvis contritus sibi videatur, ad sacram Eucharistiam accedere audeat absque praemissa sacramentali confessione. Quoad ab omnibus Christi fidelibus, etiam ab his, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec Sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessarii. Quod si, necessitate urgente, Sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* III. Ex verbis Tridentini allatis, lex praemitendi confessionem non obligat, quoties urget necessitas communicandi aut celebrandi, et non adest copia Confessarii: unde in hoc casu sufficit contritio perfecta. IV. Ex iisdem Concilii verbis Sacerdos, qui propter urgentem necessitatem, et deficiente tunc Confessario, sine confessione praevia, et sola contritione celebrat, tenetur confiteri quamprimum.—
Quaesita. Circa II.--An qui recordatur peccati mortalis, quod ex inculpabili oblivione in confessione non declaravit, teneatur illud ante communionem confiteri. (Q. 3.)--*Circa III.*--Quando censetur dari necessitas urgens communicandi vel celebrandi. (P. II.)--Quandonam Confessarii copia deesse censeatur. “1.^o Si absit, et moraliter illum adire nequeas: 2.^o si adsit, et cum illo moraliter confiteri non possis,.” (Q. 1.)—Quaenam requiratur distantia, ut censeatur Confessarium absentem moraliter adiri non posse. (Q. 2.)--An hic casus necessitatis urgentis, et carentiae Confessarii sit in praxi frequens. (Q. 1.) *Circa IV.*--An mandatum Tridentini confitendi quamprimum, sit consilium, et non praeceptum. (Q. 5. Nota.)--An illa particula *quamprimum* intelligatur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur. (Ibi.)—Quomodo intelligendum sit praeceptum illud Sacerdotibus impositum. (Q. 5.)—Quid si Sacerdos intra triduum celebrare velit. (Ibi.)--An hoc praeceptum etiam de laicis intelligi debeat. (Q. 4.)--An de Sacerdotibus sacrilege celebrantibus, non urgente necessitate, vel non deficiente copia Confessarii. (Q. 7.)--An Sacerdos celebrans post confessionem, in qua *inculpabiliter* oblitus est alicujus peccati

mortalis, teneatur quamprimum confiteri. (Q. 6.)

Punct. II. De dispositione proxima. Ut fructus hujus Sacramenti uberius percipiantur, praeter statum gratiae requiritur in sujeto, ut ad actum communionis se proxime disponat. Ad hanc dispositionem pertinent: 1.^o actus doloris ac detestationis peccatorum etiam venialium: 2.^o fervor devotionis et charitatis excitatus per actus virtutum, praesertim vivae fidei, profundae humilitatis, et ardentis desiderii S S. Eucharistiam suscipiendi.—*Quaeres.*—An affectus ad aliquod peccatum veniale totum fructum communionis impediat. (Q. 8.)

LECTIO 10. E.

§. II. *De dispositionibus requisitis quoad corpus.*—Duplex etiam dispositio requiritur ex parte corporis, scilicet: 1.^o jejunium: 2.^o decentia et compositio.—*Punct. I. De jejunio ad communionem requisitio.*—*Principia.* I. Ad Eucharistiae Sacramentum digne suscipiendum requiritur ex praecepto Ecclesiae, et sane apostolico, jejunium naturale, quod consistit in *totali* abstinence post mediam noctem à re qualibet, quantumvis minima, quae sumitur per modum cibi, potus, vel medicinae. Ita Concilium Constantiense sess. 13. *Hujusmodi Sacramentum non debet confici post coenam, neque à fidelibus suscipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à jure vel Ecclesia concessa vel admissa.* II. Praeceptum hoc non admittit parvitatem materiae neque ex parte temporis, neque ex parte rei: unde si quis vel minimum sumpserit, vel uno temporis instante post mediam noctem, non potest communicare. III. Ad jejunium naturale frangendum juxta communem sententiam requiruntur sequentes conditiones: 1.^a ut quod sumitur, ab extrinseco sumatur: 2.^a ut trajiciatur in stomachum: 3.^a ut res sit digestibilis, ita ut habeat rationem cibi vel potus: 4.^a ut sumatur per modum comestionis vel potationis, et non per modum respirationis vel salivae. Verum ut aliquid per modum respirationis aut salivae sumi videatur, necesse est: 1.^o ut hoc sit *quid minimum*: 2. ut trajiciatur *non sciens neque volens.* IV. Certum est ex Concilio Constantiensi legem jejunii interdum non obligare, scilicet, in casu infirmitatis, vel alterius necessitatis à jure vel Ecclesia concessa vel admissa. Hi casus, in quibus potest quis communicare non jejunus, *si non possit jejunus*, sunt sequentes: 1.^o periculum mortis, sive proveniat ex infirmitate, sive ex judicis sententia, sive ex malitia hominum: 2.^o periculum profanationis, uti si periculum sit, ne Eucharistia pereat ab elementis, v. g. igne, aqua, vel male tractetur ab hominibus impiis: 3.^o periculum scandali, vel gravis infamiae ex omissione celebrationis vel communionis: 4.^o necessitas perficiendi Sacrifi-

cium. 5.^o unio moralis ipsius Sacrificii, uti si Sacerdos post ablutiones repererit fragmenta ejusdem Sacrificii, et etiam alterius, si illa nequeat reverenter servari. (Q. 9.)—*Quaesita. Circa I.*--An possit communicare, qui positive dubitat, utrum post mediam noctem cibum aut potum sumpserit. (Q. 6.)--*Circa III.*--An frangat jejunium trajectio reliquiarum cibi, quae inhaerent inter dentes. (Q. 1.)--An guttulae aquae aut jusculi degustati cum saliva.--An pulvis tabaci sumpti per nares.--An fumus tabaci aut similis.--An folium tabaci vel aroma dentibus contritum ad expuenda flegmata.--*Circa V.* An requiratur moralis certitudo periculi mortis, ut Viaticum possit ministrari infirmo non jejuno. (Q. 10.)--An liceat aliquando dare communionem infirmo non jejuno, nec periculose decumbenti, si jejunium ad aliquot horas servare nequeat. (Q. 11.)--An liceat saltem huic infirmo Eucharistiam administrare post mediam noctem. (Ibi.) An liceat communionem iterum ministrare infirmo non jejuno, qui jam Viatico munitus est.—Quanto tempore distare debeat una communio ab alia, si infirmus non jejunos communicet.—*Quaesita. alia extra Principia.*--An liceat edere et bibere statim post communionem. (Q. 7.)--An sit illicitum post communionem expuere. (Q. 8.)

Punct. II. De compositione et decentia corporis.—Compositio et decentia corporis ad communionem requisita, in eo consistit, quod communicandus in oculis, vultu, incessu, atque vestitu nihil praeseferat, quod reverentiam hinc augustissimo Sacramento debitam dedeceat.—*Principia. I.* De jure naturali requiritur exterior habitus et compositio corporis, qua communicandus modeste et reverenter ad sacram communionem accedat. Hinc R. 1. et 4. II.—Quoad maculas corporis, si exterius appareant, et auferri possint, diligenter auferantur. Si vero sint occultae, vel etiam apparentes, sed indelebiles, non impediunt à communionem. Hinc R. 2. et 3.

LECTIO 11. E.

APPENDIX I. *De Communionem frequenti.*—Quae Communio intelligitur frequens. *Statuenda.* 1.^o Certum est communionem frequentem, etiam quotidianam semper fuisse in Ecclesia optatissimam. 2.^o Certum pariter est non posse generaliter constitui dies ad sacram Eucharistiam suscipiendam; nec illos esse ab ea arcendos, qui frequenter accedere cupiunt, nisi indigni videantur. 3.^o Judicium de dignitate communicantium reliquendum est Confessario, qui *pro conscientiae puritate et fructu à sacra mensa percepto*, id, quod singulis magis profuturum existimet, praescribere debet. His positus, doctrina de Communionem frequenti ad mentem S. Ligorii paucis et generalibus regulis constringi sic potest. (n. 344.) Regula 1.^a Quoad communionem mensualem. 2.^a Quoad communionem hebdo-

madariam. 3.^a Quoad communionem *frequentem*, seu *pluries* in hebdomada. 4.^a Quoad communionem *quotidianam*.

APPENDIX II. *De Communionem spirituali.*—Quid dicitur Communio spiritualis.—Quomodo fieri soleat haec spiritualis communio.—An ipsius praxis commendanda sit fidelibus piis.—Quando communio spiritualis fieri possit. “Postremo Communio spiritualis requirit statum gratiae: unde qui est in peccato mortali, debet ante communionem actum contritionis elicere.—Quid si subjectum poeniteat, sed dolor ejus non sit perfectus, qui peccatum deleat? Gratiam Communionis non consequitur ob defectum necessariae dispositionis; sed non peccat.”

PARS II.

DE EUCHARISTIA, UT SACRIFICIO.

Eucharistia Sacramenti et Sacrificii vim habent. Differunt inter se haec duae rationes; videlicet: 1.^o Eucharistia est Sacrificium, dum conficitur; Sacramentum autem, postquam confectum est. 2.^o Quatenus Sacrificium, tendit primario in honorem Dei; quatenus Sacramentum ordinatur primario ad hominis sanctificationem. 3.^o Qua Sacramentum, confert gratiam sanctificantem, et omnes illas utilitates, quae sunt propriae hujus gratiae sacramentalis; qua Sacrificium, vim etiam habet propitiandi Deum, et satisfaciendi pro peccatis. Agendum: 1.^o de natura et virtute Sacrificii Eucharistici: 2.^o de ipsius applicatione: 3.^o de obligatione illud celebrandi: 4.^o de modo et ritu celebrationis.

LECTIO. 12. E.

Cap. I. De natura et virtute Sacrificii Eucharistici. 1.^o De natura: 2.^o de virtute.—*Art. I. De natura Sacrificii Eucharistici.* I. DEFINITIO.—Quid est sacrificium generatim sumptum. “Unde ad sacrificium tria necessario requiruntur: 1.^o res sensibilis, quae vocatur *hostia* seu *victima*: 2.^a *oblatio* victimae: 3.^o *immutatio* seu *destructio* victimae.—In Veteri Testamento plura erant sacrificia, scilicet; alia *latreutica*, quae primario in honorem Dei; alia *eucharistica*, quae in gratiarum actionem; alia *propitiatoria*, quae ad placandum Deum offensum; alia denique *impetratoria*, quae ad gratias et beneficia obtinenda offerebantur. In Novo Testamento unum tantum sacrificium extat; et hoc est illud ipsum, quod Christus Dominus in cruce obtulit, quodque in Eucharistia commemorari et renovari praecepit usque ad consummationem mundi. Sacrificium hoc eucharisticum

Missa nuncupari solet, (n. 346.), et definitur: *Sacrificium solemne, in quo Christus Dominus offertur Deo Patri in recognitionem ejus supremi dominii sub speciebus panis et vini consecratis super aram altaris à Sacerdote cum debita solemnitate.* II. VERITAS. *Missa* est verum et proprium Novae Legis sacrificium. 1.^o ex definitione Ecclesiae: 2.^o quia in *Missa* dantur illa omnia, quae ad verum sacrificium requiruntur: nempe, praesentia victimae, oblatio victimae, et destructio victimae, (P. I.) III. PROPRIETATES. 1.^o Sacrificium *Missae* rationes omnium sacrificiorum Antiquae Legis perfecte continet. (P. II.)--2.^o Sacrificium *Missae* idem est quoad substantiam ac sacrificium Crucis; et tantum differunt *accidentaliter*, seu quoad modum offerendi. Ratio primi, quia utriusque sacrificii eadem est hostia, idem Sacerdos, et utrumque sanguinis effusione conficitur. Ratio secundi, quia sacrificium Crucis fuit *absolutum*, ideoque in illo *realis* sanguinis effusio intercessit; sacrificium *Missae* est *relativum*, ac propterea fit cum *mystica* sanguinis offusione. Insuper illud à solo *Christo*, hoc *Sacerdotum ministerio* offertur: illud fuit *meritorium*: in hoc merita sacrificii Crucis *applicantur*. (P. III.) IV. PARTES. *Missa* constat sacrificio et liturgia seu caeremoniis: illud à *Christo* institutum; haec ab Apostolis et Ecclesia. Sacrificii partes sunt oblatio, consecratio, et consumatio. *Probabilius* essentia hujus Sacrificii consistit in sola consecratione, (n. 349.) ceterae vero partes pertinent ad ejus integritatem et perfectionem. Unde oblatione quasi praeparatur, consecratione offertur, et consumatione perficitur et absolvitur. V. MINISTRI ET OFFERENTES.--In *Missae* sacrificio duo occurrunt ministri seu offerentes, *Christus* et *Sacerdos*. Primus et principalis offerens est *Christus*, utpote *Sacerdos in aeternum, qui sempiternum habet sacerdotium*: Sacerdotes sunt offerentes secundarii, cum non per se, sed in persona *Christi* sacrificium offerant; attamen vere et proprie offerentes cum potestate consecrandi et offerendi. Fideles autem Sacrificio assistentes improprie seu lato sensu offerentes nuncupantur. VI. SUBJECTUM. Sacrificium *Missae* pro his omnibus offerri potest, pro quibus sacrificium Crucis oblatum fuit, nisi Ecclesia pro aliquo offerri vetet. Vetat autem pro excommunicatis; sed *probabilius* pro vitandis tantum. Itaque licet *Missae* sacrificium offerre: 1.^o pro omnibus fidelibus vivis non excommunicatis, et probabilius etiam pro infidelibus: 2.^o pro defunctis in Purgatorio detentis: 3.^o pro Beatis. Nempe, pro Sanctis, qua eucharisticum; pro defunctis, qua satisfactorium; pro vivis, qua propitiatorium et impetratorium. (Q. 2.)

LECTIO 13. E.

Art. II. De virtute et fructibus Sacrificii Missae. "Virtus, seu

valor Sacrificii Missae intelligitur illa vis seu efficacia, quam habet Sacrificium ad conferendas gratias et bona tum Sacerdoti offerenti, tum his, pro quibus offertur. Gratiae autem et bona, quae confert, dicuntur ipsius *fructus*. Fructus sacrificii Missae tripliciter distingui solet: 1.^o ex parte rei; 2.^o ex parte causae; 3.^o ex parte participantium. I. *Fructus ex parte rei, seu ipsorum bonorum*. Hic fructus vel consideratur in ordine ad Deum, cui sacrificium offertur, vel in ordine ad homines, pro quibus offertur. In ordine ad Deum, Sacrificium Missae: 1.^o Deum honorat; et ideo sacrificium *latreuticum* 2.^o ei gratias agit; et ideo *eucharisticum*: 3. illum propitium reddit, et ideo *propiciatorium* est. In ordine ad homines, Sacrificium Missae: 1.^o auget gratiam, et hic fructus dicitur *meritorius*: 2.^o remittit peccata, et dicitur *propitiatorius*: 3.^o delet poenas, et dicitur *satisfactorius* seu *expiatorius*. 4.^o denique impetrat gratiae auxilia et alia bona sive spiritalia, sive temporalia, et dicitur *impetratorius*. II. *Fructus ex parte causae*. (n. 350.)--In Missa duo sunt offerentes, Christus nempe et Sacerdos: unde duplex est fructus Sacrificii ex parte offerentis, seu causae: alius, qui dicitur *ex opere operato*; et alius *ex opere operantis*. Prior provenit ex Christo offerente, et recipitur intuitu meritorum Christi et ejus promissionis. Alter provenit ex Sacerdote celebrante, et recipitur intuitu ipsius sanctitatis et devotionis. Fructus *ex opere operato* aequalis est in omnibus Missis, sive à digno, sive ab indigno Ministro celebrentur: fructus autem *ex opere operantis* tanto major est, quo majori sanctitate et devotione Sacerdos praeditus sit. III. *Fructus ex parte participantium*.--Fructus Sacrificii Missae percipiunt: 1.^o omnes fideles, pro quibus Sacerdos nomine Ecclesiae Sacrificium offert, maxime vero hi, qui Sacrificion assistunt. 2.^o ille, vel illi, quibus Sacerdos specialiter Sacrificium applicat: 3.^o Sacerdos ipse, qui Sacrificium celebrat. Fructus ille dicitur *generalis, hic specialis, iste specialissimus*. (n. 351.)

Hucusque de fructibus: nunc de virtute. Et 1.^o certum est sacrificium Missae, si spectetur *in se*, esse infiniti valoris. (n. 352.) 2.^o Certum itidem est ipsius virtutem seu efficaciam, si spectetur *in actu secundo*, seu in suis effectibus, non posse esse infinitam. (*Resp.* 2.) Utrum vero virtus in se ipsa, seu *in actu primo* sit infinita, alii negant, et hoc ex voluntate Christi, qui virtutem hujus Sacrificii limitavit et restrinxit in certa quantitate: alii vero affirmant, quia nullibi constat de hac limitatione; unde virtus sacrificii Missae infinita dicenda est tam intensive, quam extensive. *Intensive*, quatenus quisque fructum ex illo capere potest, in quantum eget, et *indefinite*, et non ad certum gradum tantum. *Extensive*, quatenus nihil detrahatur, sive pro uno, sive pro pluribus applicetur. At quantum revera quis capiat, hoc pendet à dispositionibus.—*Quaesita*. An fructus *generalis* Missae tribuatur fidelibus non tantum per

modum *impetrationis*, sed etiam per modum *satisfactionis*. (n. 351. 1.)—Qui fructus tribuitur ei, vel illis, quibus Sacerdos *specialiter* applicat Sacrificium. (2.)--An fructus *specialissimus* Sacerdotis celebrantis aliis applicari possit. (3. Nota.)--An Missa prosit defunctis ex infallibili promissione Christi. (n. 353.)--An prosit certa lege, et quantitate. (Ibi.)--An Missa *de Requiem* magis prosit defunctis, quam Missa *de Sanctis*.

LECTIO 14. E.

Cap. II. De applicatione Sacrificii Missae.—Quid est applicatio Sacrificii Missae.—*Principia*. I. Quoad fructum *generalem et specialissimum* intentio Ministri determinatur in sacra liturgia. Ita enim in Missali legitur: *Et pro omnibus Catholicae et Apostolicae fidei cultoribus..... Et omnium circumstantium, qui tibi offerunt, et pro quibus tibi offerimus*. Et cum hostiam offert, dicit Sacerdos, *Quam tibi offero pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et negligentis meis*. II. An requiratur applicatio Sacerdotis ut fructus *specialis* seu *ministerialis* alicui obveniat. III. An Sacerdos, qui nemini Missam applicare tenetur, aliquam applicationem fructus *specialis* facere debeat. IV. Applicatio Sacrificii fieri debet ante consecrationem, vel saltem in ipsa consecratione; quod si non fiat, Sacrificium non potest valide applicari, et proinde neque pro tali Missa stipendium acceptari. Ratio est, quia Sacrificium producit suos effectus quando existit. Porro Sacrificium à consecratione incipit, et probabilius in ipsa sola consistit. Hinc est, quod in *Memento* post consecrationem nulla fiat applicatio; sed tantum *memoria* defunctorum. V. Quoad conditiones applicationis: 1.^o non requiritur necessario, ut sit *actualis* vel *virtualis*, sed sufficit *habitualis*, id est, quae, semel habita, retractata non fuerit; habet enim rationem donationis: 2.^o debet esse determinata, vel *explicite*, v. g. pro eo, qui dedit stipendium, vel *implicite*, v. g. pro maximo peccatore. (Q. 1. et 3.)—*Quaesita*. Circa V.--Quae intentio valida censi debeat, si Sacerdos immemor prioris intentionis novam celebrando eliciat. (Q. 2.)--An satisfaciat Sacerdos, qui stipendia à decem personis accipiendo, celebrat cum intentione confusa et indeterminata.—Quomodo determinanda sit applicatio, quando stipendia à multis ignotis dantur.--An valeat applicatio facta vivo, quem credis esse mortuum, si tantum pro eo jam mortuo applicare debuisses. (Nota.)--An Missa *de Requiem et in nigris* applicari possit pro vivo. (n. 353. Q. 6.)

LECTIO 15. E.

Cap. III. De obligatione celebrandi et applicandi Sacrificium Missae.—Obligatio celebrationis et applicationis hujus Sacrificii considerari potest: 1.^o ratione sacerdotii: 2.^o ratione officii: 3.^o ratione beneficii: 4.^o ratione stipendii. De singulis.—*Art. I. De obligatione celebrandi ratione sacerdotii.*—*Principia.* I. Omnes Sacerdotes ratione sacerdotii jure divino tenentur sub gravi aliquando celebrare. II. Quoties in vita, vel in anno controvertitur. Alii sentiunt, quod saltem omnibus diebus Dominicis et festis solemnibus, ut innuit Tridentinum: alii tantum in solemnioribus festis: alii demum ter vel quater in anno quibuslibet diebus. Hoc *per se*. III. *Per accidens* peccat graviter Sacerdos, qui omittit celebrare per diuturnum tempus, puta, per sex vel octo menses; et hoc ratione scandali, quia esset signum malae conscientiae. Ita S. Alphonsus. IV. Imo, qui quotidie celebrare potest, et sine ulla justa causa, et tantum ob desidiam à celebrando abstinet, à culpa levi excusari nequit.

Art. II. De obligatione celebrandi et applicandi ratione officii.—*Principia.* I. *Ratione officii* tenentur jure divino celebrare Missam et illam applicare pro ovibus suis omnes animarum curam habentes, scilicet, Episcopi, Parochi, et Vice--parochi: non vero Vicarii Capitulares, nec Coadjutores Parochorum, nec Missionarii. II.--Parochus duabus parochiis praepositus duplicem Missam tenetur applicare. III.--De tempore hujus obligationis nihil jure divino definitum est; et circa hoc magna olim viguit controversia. At Benedictus XIV. Const. *Cum semper* decretorie definivit praecepto divino satisfieri applicando omnibus diebus Dominicis et festis, quibus fideles tenebantur Missam audire tunc temporis ad tenorem Constitutionis Uerbanæ VIII. *Universa*, et ita fieri mandavit. IV.--Praeceptum applicandi omnibus Dominicis et festis urget adhuc in festis suppressis aut translatis. (Q. 7. 8. 9.) V.--Praeceptum applicandi pro populo intelligitur sine stipendio. (Q. 1.) VI.--Hujusmodi obligatio pro populo applicandi, est: 1.^o PERSONALIS, ita ut Parochus teneatur applicare per se ipsum, nisi fuerit legitime impeditus; (Q. 2.): 2.^o LOCALIS, ita ut celebrare debeat in propria Ecclesia, et non in alia. (Q. 3.) Unde si Parochus fuerit legitime absens, non debet applicare in loco, ubi moratur extra parochiam, sed in casu tenetur alteri committere celebrationem et applicationem in Ecclesia parochiali: 3.^o REALIS, ita ut Parochus legitime impeditus à celebratione, debet per alium applicare pro populo. (Q. 5.) 4.^o AFFIXA DIEI, ita ut non possit suppleri per applicationem in diebus feriatis. (Q. 1.) 5.^o NON AD DIEM FINIENDAM, ita ut Parochus teneatur postea applicare, si sibi impedito in die festo alium Sacerdotem substituere non

posset. VII.--Praedictae obligationi satisfacit Parochus per Missam etiam privatam, et quacumque hora celebretur, dummodo populus facile assistere possit. (Q. 3.) VIII.--Parochus censetur legitime impeditus: 1.^o ratione infirmitatis vel alterius impossibilitatis, puta, si non jejunus: 2.^o ratione absentiae legitimae: 3.^o ratione applicationis aliunde debitae ex officio, uti si sit Canonicus.

Art. III. De obligatione celebrandi et applicandi ratione beneficii.
—*Principia.* I.--Beneficiatus tenetur ex justitia sub gravi celebrare et applicare per se vel per alium omnes Missas, quae à fundatore beneficii sunt impositae. Intercedit enim ea de re contractus inter patronum et beneficiatum. II.--Etiam ex justitia tenetur celebrare in Ecclesia, altari, die, et hora à fundatore designatis; adeo ut peccet graviter, si contrarium agat saepius sine causa, et motivum fundatoris sit grave, v. g. ob populi commoditatem, vel familiae suae bonum.

LECTIO 16. E.

Art. IV. De obligatione celebrandi et applicandi ratione stipendii.
—*Principia,* I. An licite accipi possit stipendium seu eleemosyna pro Missa. II. Ad quid tenetur Sacerdos, qui pro Missa stipendium accepit. III. An possit Sacerdos per unicam Missam pluribus stipendiis satisfacere. “Constat ex prop. 10. damnata, quae sic se habet: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre.*”--An possit pro eadem Missa duplicatum stipendium accipere, applicando uni ex dantibus fructum specialissimum. IV. Sacerdos, qui accipit stipendia, tenetur Missas celebrare tempore et loco à dante designatis. Quod si hic non designaverit tempus, tenetur Missas celebrare quamprimum moraliter, ita ut graviter peccet, si notabiliter differat celebrationem.—*Quaesita.* Circa I.--An simoniae reus sit Sacerdos, qui praecipue intuitu stipendii celebret. (Q. 7.)--An sacerdotes divites stipendium accipere possint. (Q. 12.)--An stipendium percipi possit pro Missa in die Commemorationis omnium defunctorum celebranda. (Q. 19.) “Dicitur pro Missa; nam in Hispania, ubi ex privilegio tres Missae in hac die celebrari possunt, tantum pro prima stipendium licet accipere.”--Quodnam censeatur justum stipendium Sacerdotis celebrantis. (Q. 1.)--Quomodo taxandae sint Missae, pro quibus legendis testator summam aliquam pecuniae reliquit. (Q. 11.)--An moderator diarii religiosi certum numerum Missarum à cliente Sacerdote celebrandarum acceptare loco annui stipendii possit. (Q. 13.)--An Sacerdos possit libros emere per stipendia Missarum, et eos postea vendere cum lucro. (Q. 14.)--An administratores Ecclesiarum possint aliquid sibi retinere ex Missarum stipendiis pro

expensis altarium. (Q. 15.)--*Circa* II.--An peccet graviter Sacerdos omittens celebrare Missam, si stipendium pro illa acceptum non sit materia gravis. (Q. 4.)--An vel quomodo peccet omittens Missam gratis promissam. (Q. 5.)--An Sacerdos possit Missam alteri celebrandam committere stipendium minus dando, quam ipse acceperit. (Q. 8.)--An qui retinet partem stipendii, teneatur ad restitutionem. (Q. 9.)--An Sacerdos possit cum altero permutare applicationem, non permutando stipendia, si haec sint inaequalia. (Q. 10.) *Circa* III.--An possit Sacerdos per unum Sacrum satisfacere pluribus Missis gratuito promissis. (Q. 6.) *Circa* IV.--Quae dilatio censeatur gravis in celebratione Missarum. (Q. 3.)--An restituere debeat, qui accepto stipendio ad Missam celebrandam in loco certo, vel in certo tempore, illam celebret, sed non tempore et loco praescripto. (Q. 16.)--Quid si Missa fuerit in altari privilegiato celebranda, et illam in alio altari celebret. (Ibi.)--An obligatus ad celebrandum in altari privilegiato pro defuncto, debeat legere Missam *de Requiem*, quando ritus id permittat. (Q. 17.)--An obligatus ad Missam *de Requiem*, vel votivam, satisfaciat si aliam Missam dicat. (Q. 18.)

LECTIO 17. E.

Cap. IV. De modo et ritu Missam celebrandi. Sacrosanctum Missae Sacrificium perfectum videri non potest, nisi perfectionis ordine compleatur. Porro hic perfectionis ordo postulat: 1.^o ut celebretur tempore et loco convenienti: 2.^o cum sacra suppellectili ab Ecclesia praescripta; et 3.^o servatis rubricis Missalis. Seorsim. *Art. I. De tempore et loco celebrationis.* 1.^o De tempore: 2.^o de loco.—§. I. *De tempore celebrationis.*--Circa tempus celebrationis haec puncta tractanda sunt: 1.^o quando licet celebrare: 2.^o quoties in die: 3.^o quantum temporis in celebratione insumendum sit.

Punct. I. Quando licet celebrare.—*Principia.* I.--Quibus diebus celebrare licet. II.--Qua hora celebrandum sit.—Quomodo interpretandum est privilegium celebrandi una hora ante auroram vel post meridiem.—*Quaesita.*--An vel quando peccet graviter, qui celebrat aute tempus statutum.—Quandonam liceat tempus celebrationis antevertere. (Nota.)

Punct. II. Quoties in die licet celebrare. (n. 883.)—*Principia.* I. Prioribus Ecclesiae saeculis invaluit passim disciplina, ut Sacerdotes pluries in die celebrarent. II.--A multis jam saeculis certa est lex ecclesiastica, qua Sacerdotes prohibentur pluries eadem die celebrare, excepto: 1.^o festo Nativitatis Domini, in quo licet celebrare tres Missas: 2.^o si detur casus necessitatis. Constat ex Decretali Innoc. III. ann. 1212, in qua legitur: *Excepto die Nativitatis Domini, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam*

Missam solummodo celebrare. Hoc ex jure universalis; etenim quoad regna Hispaniarum et Lusitaniae ex privilegio à Benedicto XIV. concesso in Bulla *Quod expensis* ann. 1748, licet etiam tres Missas celebrare in die Commemorationis omnium defunctorum. III.--Cum autem lex *casum necessitatis* non declaraverit quid sit, et quotuplex, magna de hac re olim viguit controversia. Verum Benedictus XIV. Const. *Declarasti nobis* ann. 1746, decretorie declaravit necessitatem in jure requisitam, ut Sacerdos bis (aut pluries) in die celebrare possit, *fere* tantum in sequentibus dari: 1.^o Cum Parochus habet duas (aut plures) parochias regendas. 2.^o Cum in eadem parochia aliqua pars populi (20. personae) nimis distat ab Ecclesia, ita ut facile ad illam convenire non possit. 3.^o Cum Ecclesia parochialis est nimis angusta, et totum populum convenienter non capiat. Verum ad hoc, ut in his casibus detur *necessitas*, omnino requiritur, ut populus teneatur Missam audire, et alius Sacerdos. . . desit, qui aliam Missam celebrare possit. (Q. 5. 6.) IV.—Quamvis in jure non expresse constet, requiritur, *ordinarie loquendo*, licentia Episcopi, ut quis ratione necessitatis bis in die possit celebrare; nam ad Episcopum pertinet cognoscere et definire, utrum revere adsit casus necessitatis. V.—Postremo quilibet Sacerdos celebrans alteram Missam, semper debet esse jejunus; et excepta die Nativitatis Domini, nullatenus potest duplicatum stipendium accipere. (Q. 7. et 8.)—*Quaeres.*--An liceat in nocte Nativitatis Domini celebrare omnes tres Missas ante auroram. (Q. 9.)

Punct. III. Quantum temporis insumendum sit in celebratione. Per quale temporis spatium Missa lecta durare debeat. (Q. 10.) An vel quando censeatur Sacerdotem graviter peccare.—Quantum temporis, ante celebrationem, in praeparatione proxima impendi debeat.—Quantum temporis, peracto Sacro, gratias Deo agendo.

LECTIO 18. E.

§. II. *De loco celebrationis.*—*Principia.* I.--Sine privilegio vel licentia non licet communiter celebrare nisi in Ecclesia, eaque idonea ad cultum divinum peragendum. *Communiter*, quia etiam sub die celebrare licet ex graviore necessitate, et de licentia Episcopi, si peti queat, uti v. g. si Ecclesia collapsa fuerit, vel si in solempni festo aut magna populi concurrentia Ecclesia non capiat eos, qui convenerunt. *Sine privilegio vel licentia*; quia, hac obtenta, licet celebrare etiam in Oratoriis tum publicis, tum privatis. II.--Solutus Papa potest concedere privilegium celebrandi in Oratoriis privatis. III.--Episcopus potest facultatem concedere Sacrum faciendi in Oratoriis publicis, et ibi peragendi ceteras functiones sacras, quae non sunt striete parochiales. IV.--Ad locum celebrationis pertinet etiam altare, quod debet esse lapideum et ab Episcopo consecratum.

Altare duplex esse potest: *fixum*, quod structuræ inferiori conjungitur, et cum ea unum totum efficit; et *portatile*, quod est simplex lapis absque nexu cum inferiori parte. Praecipua altaris pars est locus, quo Sanctorum Reliquiae recondi solent. Hic locus dicitur *sepulcrum*. Clauditur modico lapide sigillo Episcopi signato, qui propterea appellatur *sigillum*. V.--Ecclesia fit idonea ad celebrationem Missae, vel solemnī Episcopi consecratione, vel simplici benedictione, etiam à Praesbitero facta. Altaria vero solemniter consecrari debent. VI.--Ecclesia inidonea fit ad celebrationem duplici modo: nempe, *pollutione et execratione*. Intelligitur *pollui* seu *violari*, cum profanatur, ita ut reputetur indecens, ut ibi offeratur Sacrificium. *Execratur* autem, cum amittit suam consecrationem seu benedictionem, ita ut non sit amplius locus sacer. Ecclesia polluta seu profanata reconciliari debet: execrata indiget nova benedictione vel consecratione. *Reconciliatio et benedictio* fieri potest à simplici Sacerdote ex delegatione Episcopi. *Consecratio* vero solius Episcopi est.—*Quaesita. Circa III.*—Quae Oratoria censentur *publica*, ut Episcopus licentiam celebrandi possit concedere. “Alia dicuntur *publica ex situ*; alia *ex personis*,”. (Q. 1.)—*Circa VI.* Quibus modis Ecclesia polluatur. (Q. 2.)—Qualia debeant esse haec crimina, ut Ecclesia polluta censeatur. (Ibi.)—Quibus modis execratur Ecclesia. (Q. 3.)—Quando altaria sive portatilia, sive fixa suam consecrationem amittant. (Ibi.)—An execrata Ecclesia, etiam execrentur coemeterium et altaria. (Ibi.)

LECTIO. 19. E.

Art. II. De sacra suppellectili ad celebrationem requisita.—Supellex sive utensilia ad celebrationem Missae requisita revocari possunt ad tres classes; et sunt: 1.^o ornamenta altaris, et alia, quae super altare praeparari debent: 2.^o vestes sacrae, seu paramenta Sacerdotis celebrantis: 3.^o vasa sacra cum suis paramentis. His addendus est: 4.^o minister, qui Sacerdoti inserviat. De singulis paragraphis distinctis.—§. I. *De ornamentis altaris.* I.--Altare debet esse cooperatum tribus mappis ex lino vel cannabe confectis. II.--Super altare praeparanda sunt: 1.^o Crux cum Crucifixo: 2.^o candelabra duo cum candelis cereis acensis: 3.^o tabella secretarum: 4.^o Missale cum pulvillo: 5.^o cereus ad consecrationem accendendus; et in fenestella seu mensa parva: 6.^o ampullae vitreae vini et aquae cum pelvicula et manutergio: 7.^o parva campanulla.—*Quaesita. Circa mappas.*--An mappae necessario debeant esse ex lino vel cannabe. (Q. 7.)--An necessario debeant esse benedictae. (Q. 1.) *Circa Crucem.*--An sit mortale celebrare sine Cruce. (Q. 15.)—Qualis Crux esse debeat. An addi possit, si in altari, adsit magna statua Crucifixi.—Quid si

Missa celebretur in altari, in quo S S. Sacramentum publice sit expositum. (Ibi.) *Circa lumina.*—Quot candelas adhibere licet in Missis privatis. (n. 391.)—Quale peccatum sit celebrare sine lumine. (Q. 16.)—An aliquando licitum sit.—An liceat celebrare cum candelis ex sebo.—An cum candelis ex stearina.

§. II. *De paramentis Sacerdotis.* I.—Vestes sacrae Sacerdotis celebrantis sunt *amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, et casulla.* Dicuntur *majores*, quae sub gavi sunt praeceptae; et *minores*, quae sub levi tantum. Certo sunt majores alba et casulla, et probabilius etiam stola. II.—Amictus et alba debent esse ex lino vel cannabe: casulla, stola et manipulus ex pannis sericis, non vero ex tela lineae, neque ex gossipio, (lana, ò percal.) III.—Paramenta coloris debent esse coloris convenientis Officio et Missae, quae celebratur, vel qualis à rubrica praescribitur.—*Quaesita.*—An sit peccatum celebrare sine ulla veste sacra. (Q. 2.)—Quaenam vestes sint benedicendae, et à quo benedici possint. (n. 391.)—An color vestium sit de praecepto. (Q. 3.)—Qui colores in paramentis requirantur.—Quinam prohibentur.—Quinam permittuntur.

§. III. *De vasis sacris, et eorum ornamentis.* I.—Vasa sacra sunt *calix et patena.* II.—Paramenta calicis sunt *corporale, palla, purificatorium, velum et bursa.*—*Quaesita. Circa vasa.*—Ex quaenam materia calix et patena sint conflanda. (Q. 5.)—An sub gravi consecrari debeant. (Ibi.)—Quando vasa amittant suam consecrationem. (390.)—An consecrationem amittant, si inauratio pereat.—An debeant execrari, si tradantur artifici reficienda.—An pyxis debeat consecrari. (Q. 8.)—*Circa ornamenta calicis.*—Ex quaenam materia debeant esse calicis ornamenta. (Q. 7.)—Quaenam sint benedicenda. (n. 391.)—An purificatorium benedicendum sit. (Q. 12.)—An sit mortale celebrare cum corporali non benedicto vel immundo. (Q. 9.)—An sine palla, vel cum illa non benedicta.—An liceat uti palla panno serico cooperta, et auro contexta.

§. IV. *De ministro Sacerdoti inservienti.*—Quale peccatum sit celebrare sine ministro. (Q. 13.)—An aliquando sit licitum. (Ibi.)—An Sacerdos celebrare possit, respondente muliere. (Q. 14.)

LECTIO 20. E.

Art. III. De Rubricis servandis in celebratione Missae. 1.^o in genere: 2.^o de quibusdam in particulari.—§. I. *De Rubricis Missae in genere.* “Rubricae Missae sunt quaedam Ecclesiae leges vel regulae, juxta quas Sacrificium Missae celebrari oportet. Dicuntur *praeceptivae*, quae obligant sub peccato; et *directivae*, quae proponunt quid sit agendum per modum consilii et instructionis. Rursum aliae praescribuntur pro ipso actu celebrationis, et ideo *intra Missam*;

aliae ante vel post Sacrum sunt servandae; et ideo *extra Missam* vocantur.—*Principia*. I. Omnes Sacerdotes, qui exceptione non gaudeant, tenentur Missam celebrare juxta Rubricas Missalis Romani à S. Pio V. editi, neque alias ceremonias et preces, quam quae in hoc Missali continentur, facere aut recitare possunt. II. Juxta communem sententiam sunt praeceptivae omnes Rubricae Missalis, quae servari debent *intra Missam*; quae vero *extra Missam* dicuntur, habentur ut mere directivae, nisi aliunde constet de praecepto à jure vel consuetudine, uti jejunium naturale, praeparatio aliqua, ect. (Q. 1.) III. Gravitas vel levitas materiae praeceptae, non tantum ex quantitate, sed praesertim ex qualitate, aestimare debet: et ideo distinguendum est: 1.^o inter partes *ordinarias* Missae, et *extraordinarias*: 2.^o inter ea, quae continentur in Canone, et ea, quae praecedunt aut sequuntur. (Q. 3.) Imo districtius prohibetur aliquid addere vel variare propter novitatum periculum. (Q. 6.)—*Quaesita. Circa Rubricas extra Missam*.—An orationes pro praeparatione vel gratiarum actione sint de praecepto. (Q. 1. Resp. 2.)—An de praecepto sit aliqua praeparatio, et gratiarum actio. (R. 10.) An orationes recitandae, dum vestes induuntur. (Ibi.)—An lotio manuum ante et post Missam. (R. 9.)—*Circa rubricas intra Missam*. An Sacerdos infirmus celebrare possit, si non omnes Rubricas servare queat. (Q. 2.)—An sit licitus usus parvi cochlearis pro aqua in calicem infundenda.—An possit Sacerdos, Eucharistiam distribuens, fidelium mento patenam supponere.—An Sacerdoti celebranti assistere possit alter Sacerdos stola indutus. (n. 409.)—An peccet, qui in purificatione calicis sola aqua uteretur. (R. 11.) *Circa III*.—Quomodo peccet, qui omittit benedictiones, inclinationes, aut genuflexiones. (R. 3.)—Quae omissio censeatur gravis, et quaenam levis. (4. 5. 6. 8.)—Quale peccatum sit mutilare verba. (7.)—Quale peccatum sit celebrare Missam votivam vel *de Requiem*, quando id juxta Rubricas non licet. (8.)

§. II. *De quibusdam Rubricis in particulari*.—*Punct. I. De celebratione in Ecclesia aliena*. (Q. 5.) “Ecclesia aliena intelligitur illa, quae non habet Officium celebrantis, vel non eundem ritum.”—Quamnam Missam legere debeat Sacerdos celebrans in aliena Ecclesia. “1.^o Si officium Ecclesiae et celebrantis sint ejusdem coloris, debet Missam legere conformem suo, quod recitavit, Officio. 2.^o Si color Officiorum sit diversus, et ritus Ecclesiae sit duplex, tenetur celebrare de Sancto vel Mysterio, cujus Ecclesia celebrat Officium. 3.^o Si ritus Ecclesiae sit semiduplex, et ritus celebrantis duplex, nequit legere Missam votivam vel *de Requiem*, sed tenetur celebrare conformiter suo Officio. 4.^o Si ritus Ecclesiae sit duplex, et ritus celebrantis semiduplex, tenetur conformare Missam cum Officio Ecclesiae. 5.^o Sacerdos celebrans conformiter Officio Ecclesiae alienae, tenetur se conformare non tantum colori, sed et

directorio illius Ecclesiae, et proinde proprium Officium negligere debet. 6.^o Haec omnia, uti de Ecclesiis, ita de Oratoriis publicis sunt tenenda; non tamen de Oratoriis privatis, unico casu excepto, nempe, si festum Patroni loci celebretur.

Punct. II. De orationibus in Missis de Requiem. (Q. 7.) 1.^o In *Missis de Requiem* dicitur una tantum oratio in die Commemorationis omnium defunctorum, in die depositionis, tertia, septima, trigesima, et in anniversario, et quodcumque pro defunctis solemniter celebratur. 2.^a In aliis diebus plures Orationes dicuntur, uti de Feriis et Simplicibus, scilicet, semper tres orationes dici debent, et possunt dici quinque vel septem, dummodo sint numero impares, et ultimo loco ponatur oratio *Fidelium*. 3.^o Quoties plures orationes dicuntur, prima est *Deus, qui inter Apostolicos*; secunda in individuo non est praecepta; quarta, quinta, et aliae, si addantur, desumendae sunt pro libitu Sacerdotis, servato ordine Missalis; ultima dicatur semper *Fidelium Deus*.

Punct. III. De abruptione et interruptione Missae. (Q. 8.) *Abruptio* dicitur cessatio à Missa, semel incepta, sine animo illam continuandi. *Interruptio* est Missae celebrationem suspendere, et illam postea continuare.—*Quoad abruptionem.* 1.^o Missam abrumper sine justa causa est grave peccatum; quia esset plures ritus et ceremonias simul omittere. 2.^o Ante consecrationem, seu *accidentaliter*, licet abrumper Missam ob plures causas; videlicet, si quis recordetur se esse in peccato, vel non jejunum, aut canonice impeditum; ob infirmitationem, violationem Ecclesiae, ruinam, incendium, et hujusmodi. 3.^o Post consecrationem, seu *essentialiter*, non licet, nisi in casu impotentiae.—*Quoad interruptionem.* 1.^o Missam interrumpere etiam peccatum est, si fiat sine causa; et quidem mortale, si interruptio sit notabilis, puta, si celebrans, manens ad altare, et à fortiori si discedat, quidquam agat alienum à Missa per quadrantem. Ratio, quia Missa est una actio totalis. 2.^o Ante consecrationem vel ante Canonem, seu *accidentaliter*, licet Missam interrumpere ob varias causas: nempe, ad concionem, ad preces, ad proclamationes faciendas; ob collationem Ordinum, ob professionem religiosam; ob necessariam ventris exonerationem. 3.^o Incepto jam Canone, et à fortiori peracta jam consecratione, seu *essentialiter*, non licet nisi ex gravissima causa, v. g. si moribundus baptizari aut absolvi debeat, vel etiam ungi, dum alia Sacramenta nequit suscipere. Ob Viaticum ministrandum solum licet, si moribundus prope esset, ita ut Sacerdos altare è conspectu suo non amittat.

Punct. IV. De casu, quo Sacerdos celebrans morbo aut morte corripitur.—Quid agendum, si Sacerdos morbo vel morte correptus Sacrum perficere nequeat. (Q. 9.)—Quinam perficere debent Sacrificium, si Sacerdos post consecrationem deficiat.—Quid si post aliquam interruptionem, Sacerdos ipse celebrans illud perficere

valeat.--An si Sacerdos supplens statim inveniri non possit, quaerendus sit, quacumque mora interjecta. (Ibi.)--Ad haec: 1.^o Missa per alium Sacerdotem expleri debet ab eo loco, ubi infirmus desit. 2.^o Si nullus Sacerdos haberi queat, sacra Hostia et Calix per Clericum, vel etiam per laicum in Tabernaculo servanda sunt, et à Sacerdote postea illo loco celebrante absumenda. 3.^o Sacerdos, qui Missam supplet, nequit celebrare illa die, licet sit jejunus.

Punct. V. De usu pileoli. 1.^o Illicitum est de jure communi celebrare capite cooperto. 2.^o Usus pileoli prohibetur ab Urbano VIII decreto sub initio Missalis edito. 3.^o Illicitum est, sine speciali privilegio, celebrare cum capillatura ficta. (R. 2.)

LECTIO 21. E.

Epilogus hujus Tractatus.

TRACTATUS.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

(in quatuor capita divisus:)

1.^o De natura: 2.^o de materia et forma: 3.^o de subjecto: 4.^o de Ministro Sacramenti Poenitentiae.

LECTIO 1.^a F.

Cap. I. De natura Poenitentiae in genere.—Poenitentia idem sonat ac poenam tenere. Generatim, seu *largo sensu* sumpta definitur dolor animi, quem quis experitur ob aliquod malum patratum. *In sensu vero proprio*, in quantum ad justificationem conducit, dupliciter sumi solet, nempe, prout est virtus, et prout est Sacramentum. Seorsim.

Art. I. De natura virtutis Poenitentiae. I. DEFINITIO. Quid est Poenitentia, ut virtus. II. DIVISIO. Dupliciter peccator de sua culpa dolere seu poenitere potest; vel quia offendit Deum summe et per se dilectum, vel quia offendit Deum sui peccati vindicem. Si primo modo poeniteat, poenitentia dicitur *perfecta*; si secundo modo, *imperfecta*. III. NECESSITAS. An poenitentiae virtus necessaria sit peccatori ad salutem, et quo sensu. IV. EFFECTUS.--Effectus virtutis poenitentiae, si sit *perfecta*, est peccatoris justificatio, et cum Deo reconciliatio; ac proinde: 1.^o delet peccata: 2.^o remittit poenam aeternam. Poenitentia autem *imperfecta* per se solam non justificat, neque umquam justificavit.

Art. II. De natura Sacramenti Poenitentiae. I. DEFINITIO. Quid est Poenitentia, ut Sacramentum. "Differt à virtute poenitentiae: 1.^o quia haec fuit à mundi exordio, illa à Christo: 2.^o virtus non justificat, nisi perfecta; Sacramentum justificat cum sola imperfecta: 3.^o virtus est causa gratiae per modum dispositionis, et *ex opere operantis*; Sacramentum per modum causae efficientis, et *ex opere operato*: 4.^o virtus denique fuit peccatoribus necessaria in omni statu et quovis tempore; Sacramentum necessarium est in Nova Lege, utpote in ea institutum,,. II. VERITAS. An Poenitentia sit vere et proprie Novae Legis Sacramentum. III. PROPRIETATES. 1.^o Sacramentum Poenitentiae habet vim remittendi omnia peccata post Baptismum commissa, seu, quod idem est, nullum est peccatum, quod rite dispositis in Sacramento Poenitentiae remitti non possit. (P. II.) 2.^o Sacramentum Poenitentiae institutum fuit per modum iudicii; ideo Sacramenti et iudicii vim habet. Verbis absolutionis continetur forma et sententia: qui absolvit, ministri et iudicis; qui absolvitur, subjecti et rei personam gerit. 3.^o Sacramen-

tum Poenitentiae proprium etiam habet et singulare, quod cum cetera Sacramenta recipi possint valide, quamvis illicite, hoc solum nisi licitum sit, nullum est. 4.^o Demum hoc Sacramentum potest suscipi toties, quoties fideles post Baptismum in peccata labuntur. IV. PARTES. Partes necessariae Sacramenti Poenitentiae sunt: 1.^o contritio: 2.^o confessio: 3.^o absolutio: 4.^o satisfactio, quatenus à poenitente acceptanda, seu, ut ajunt, *in voto*. Requiritur necessario *confessio* et *absolutio*, id est, accusatio rei et sententia judicis; quia sine his iudicium constare nequit. Requiritur praeterea *contritio* et *satisfactio in voto*, uti conditio, sine qua nemo in hoc iudicio absolvi potest. (P. III.) Rursum, ex quatuor his partibus absolutio pertinet ad ministrum, reliqua vero ad subjectum. Unde actus poenitentis in Sacramento Poenitentiae requisiti ad peccatorum remissionem sunt tres: nempe, *cordis contritio*, *oris confessio*, et *operis satisfactio*. (P. IV.) V. INSTITUTIO. Quandonam Sacramentum Poenitentiae institutum fuerit.—Quare dicitur *praecipue* post Resurrectionem. VI. EFFECTUS. Sacramentum Poenitentiae institutum fuit pro fidelibus Deo reconciliandis; unde *primario* et *per se* causat primam gratiam. Gratia haec, qua *sanctificans*, remittit peccata; qua *sacramentalis*, animae infirmitates sanat, et ideo dicitur *remissiva et sanativa*. VII. NECESSITAS. Sacramentum Poenitentiae *in re*, vel *in voto* omnibus fidelibus in mortale lapsis necessarium est ad salutem, tum necessitate medii, tum necessitate praecepti. *In re*, nempe, confessio et absolutio: *in voto*, scilicet, contritio seu poenitentia perfecta cum proposito confitendi.—*Quaeres*.—An vel quatenus convenient iudicium sacramentale et forense.

LECTIO 2.^a F.

Cap. II. De materia et forma Sacramenti Poenitentiae. 1.^o De materia: 2.^o de forma.—*Art. I. De materia*.—Quotuplex distinguitur materia in Sacramento Poenitentiae.—Quaenam est materia remota, seu *circa quam*.—An omnia peccata commissa post Baptismum sint materia Poenitentiae eodem modo.—Quae peccata dicuntur materia *necessaria*.—Quaenam sunt materia *libera* et *sufficiens*. “E contra materia *insufficiens* sunt distractiones involuntariae, habitus pravi, tentationes, et aliae imperfectiones, quia non sunt peccata.”—Quaenam est materia proxima, seu *ex qua* Sacramenti Poenitentiae.—*Principia*. I. Qua Poenitentia est Sacramentum, satis est confiteri vel unum peccatum, sive mortale, sive veniale. Ratio est, quia si neque dolor de peccatis commissis, (materia), neque absolutio (forma) desit, necesse est Sacramentum fieri; eoque facto, omnia peccata remitti, videlicet, confessa, *directe* et *per se*; non confessa, *indirecte* et *per consequens*. II. Qua Peoni-

tentia est iudicium, cum hoc incognita causa exerceri nequeat necesse est omnia et singula peccata confiteri. Verum hoc, non de necessitate Sacramenti, sed ex praecepto divino positivo, ac proinde cum moraliter est possibilis. III. Quoties poenitens ne ullum quidem peccatum, saltem veniale, confitetur, nullatenus dari potest absolutio, quia deficit materia remota, tum Sacramenti, tum iudicii. Item si nullum de peccatis dolorem habeat, quia tunc deest materia proxima. Quod si confiteatur peccatum incertum seu dubium, aut cum incerta seu dubia contritione, absolutio nequit dari absolute,,.—*Quaesita. Circa materiam necessariam.*—An adultus baptizandus sub conditione in dubio baptismi praecedentis, peccata mortalia jam accusata confiteri debeat. (Q. 2.)—An accusare debeat peccata nondum confessa, seu ab ultima confessione commissa.—An adultus baptizandus et absolvendus conditionate, primum baptizari vel absolvi debeat.—*Circa materiam sufficientem.*—An sint materia sufficiens Sacramenti Poenitentiae peccata jam rite confessa et remissa. (Q. 1.)—An peccatum accusatum tantum in genere sit materia sufficiens ad confessionem in casu necessitatis, nempe, quando moribundus nullum peccatum in specie confiteri potest, sed tantum dicit: PECCA VI. (Q. 5.) “Ratio in principio primo,,.—An etiam extra casum necessitatis, si poenitens peccata mortalia declaranda habeat. “Ratio in principio secundo,,.—Quid si tantum habeat peccata venialia. (Ibi.)—Quid in praxi.—An materia sufficiens confessionis sint peccata venialia, aut mortalia jam confessa, secundum speciem suam etiam genericam, uti v. g. si dicas te peccasse contra iustitiam. (R. 1.)—An sufficiat confessio *in genere*, si Confessarius plane agnoscat aliunde poenitentem, uti si dicat: *Me accuso de omnibus peccatis meis jam tibi notis.* (R. 6.)—An poenitente materiam sufficientem non praebente, Confessarius teneatur exquirere certam de vita praeterita, ut absolvere possit. (Q. 6.)—Quid si videatur habere dolorem dubium de venialibus confessis. (Ibi.) “Ratio utriusque in principio tertio,,.—An sit necessario absolvendus poenitens, qui non affert materiam *necessariam*. (Q. 7.)—Quomodo se gerere debeat Confessarius cum devotulis et aliis ejusmodi, qui non nisi confuse, vel de peccatis valde levibus confitentur. (R. 2. 3. 4. 5.)

LECTIO 3.^a F.

Art. II. De forma Sacramenti Poenitentiae. 1.^o De forma in genere: 2.^o de forma conditionata.—§. I. *De forma in genere.* In Sacramento Poenitentiae duae absolutiones dantur; alia à censuris, alia á peccatis. Absolutio á censuris continetur illis verbis, *Dominus noster J. C...* absolutio à peccatis his, *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris,*

et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Utramque antecedunt preces *Misereatur, et Indulgentiam....*, et subsequuntur verba: *Passio D. N....*. Unde quatuor complectitur forma absolutionis. Ad haec, Sacerdos elevat manum à verbo *Indulgentiam* usque ad verbum *Passio*; et facit signum crucis in poenitentem, dicendo *In nomine Patris....* Ex his tantum absolutio à peccatis pertinet ad valorem Sacramenti, quae proinde dicitur forma *essentialis*, vel *sacramentalis*; reliqua autem sunt de praecepto seu de Rubrica, et dicuntur forma *praeceptiva* seu *rubricalis*.—*Quaesita. Circa formam rubricalem.*—An preces, quae antecedunt, et sequuntur omitti possint absque peccato. (n. 426.)—An elevatio manus, et signum crucis. (Q. 3.)—An stola requiratur ad Sacramentum Poenitentiae ministrandum. (Q. 8.) *Circa formam essentialem.*—An valida sit absolutio, si Sacerdos dicat tantum: *Absolvo*; vel *Absolvo à peccatis tuis*: vel *Absolvo te*. An valida sit forma deprecatoria, v. g. *absolvat te Deus.*—An Sacerdos possit valide plures absolvere unica forma, dicens: *Ego vos absolvo à peccatis vestris.*—Quaenam praesentia poenitentis requiratur ad validitatem absolutionis: “Forma consistit in verbis *Absolvo te....* à Confessario *prolatis*; et quia Confessarius, dum profert verba, cum ipso poenitente loqui videatur, necessario requiritur, ut hic sit moraliter praesens.”—Quae praesentia reputatur sufficiens. (Q. 5.)—An valida sit absolutio missa ad absentem per litteras vel per internuncium. “Forma consistit in verbis à Confessario *prolatis*.”—An per verba: *Te absolvo à peccatis tuis*, possit Confessarius valide absolvere, tam à censuris, quam à peccatis.—An valida sit absolutio, si Confessarius absolvat prius à peccatis, quam à censuris.

§. II. *De forma conditionata.* “Forma conditionata dicitur illa, quae profertur, apposita aliqua conditione, v. g. si vivis, si est dispositus ego te absolvo.... Duplex quaestio: 1.^o an sit valida in omni casu: 2.^o an sit licita. Circa validitatem dubitant nonnulli, si conditio sit *juris*; et ita objiciunt. (n. 432.) Verum haec sententia *improbabilis* est, et contraria certa. (n. 431.)—*Quaestio de licitudine.* Primo omnes conveniunt absolutionem conditionatam licitam esse, urgente necessitate; quia Sacramenta propter homines. At quae necessitas seu causa censeatur sufficiens; et quando, seu in quibus casibus, hac necessitate stante, liceat conditionate absolvere, acriter controversatur. Circa causam dantur tres sententiae: alii dicunt ex qualibet causa levi, (sententia plane laxa); alii in extrema necessitate tantum, (sententia rigida); alii denique ex causa gravi, ita ut, urgente periculo gravis damni, *debeat*, et urgente aliquo bono spirituali notabili, *possit* absolutio dari. (n. 434-435.) Haec de causa. Circa casus iterum controversia. Et quidem omnes facile concedunt in 1.^o 2.^o 4.^o 5.^o 6.^o 7.^o; at negant in dubio jurisdictionis ex parte Confessarii, et maxime in dubio de dispositione poenitentis. (n. 435.)

Sane in hoc postremo dubio magna et vere christiana prudentia opus est; et ideo pro praxi haec tenenda sunt: 1.^o Certo indispositus numquam absolvendus est. 2.^o Dubie dispositus enixe est disponendus. Si tamen dubium remaneat, *per se loquendo*, differenda est absolutio donec resipiscat, et redeat magis dispositus. Verum si spes non adsit ut redeat, vel urgeat necessitas, sive extrema, sive gravis, videtur quod absolutio sub conditione dari possit, imo et debeat,, *Resolves.*

LECTIO 4.^a F.

Cap. III. De subjecto Sacramenti Poenitentiae, et de ipsius actibus seu dispositionibus. "Subjectum Sacramenti Poenitentiae est omnis et solus homo baptizatus, qui peccatum aliquod, saltem veniale, post Baptismum commisit. In subjecto hujus Sacramenti requiruntur tres actus, nempe, cordis contritio, oris confessio, et operis satisfactio; et quidem tum ut *dispositiones* ad remissionem peccatorum, seu ad effectum gratiae, tum ut *materia proxima* ad valorem Sacramenti. Unde si illicite suscipiatur, nullum est Sacramentum. De singulis totidem articulis.—*Art. I. De contritione.*—Quid est contritio. "Contritio duos includit actus: dolorem et detestationem de praeteritis, et propositum iu futurum. Ratio est, quia cum peccatum sit aversio à Deo et conversio ad creaturas, contritio debet esse aversio à creaturis et conversio ad Deum. Haec ex natura ipsius contritionis, ac proinde in quovis statu et tempore. Nunc autem in Nova Lege, ex voluntate Christi, contritio nullam efficaciam habet sine voto confessionis. Unde in praesenti definitur cum D. Thoma: *Dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi et satisfaciendi, ac iterum non peccandi.* Seorsim de duobus actibus contritionis: 1.^o de dolore, seu de contritione stricte sumpta: 2.^o de proposito.

§. I. *De dolore.* 1.^o De natura: 2.^o de necessitate: 3.^o de dotibus: 4.^o de efficacia doloris.—*Punct. I. De natura doloris.*—Dolor est detestatio de peccatis commisis. Multiplex distinguitur: 1.^o *Naturalis*, si ea quae ad dolendum movent, per rationem cognoscuntur et aestimantur; et *supernaturalis*, si per fidem. 2.^o Dolor supernaturalis vel est *perfectus*, qui ex charitate; vel *imperfectus*, qui ex turpitudine peccati, vel ex metu inferni, vel ex amissione aeternae beatitudinis concipitur. Dolor perfectus dicitur *contritio* simpliciter; imperfectus *attritio*. Rursum attritio ex metu inferni et poenarum concepta, vocatur attritio *formidolosa*, et duplex distingui solet, *serviliter servilis*, et *simpliciter servilis*. Prima datur, cum quis de peccatis dolet ob metum poenarum, ita tamen ut peccare vellet, si poenae deessent: secunda, cum quis ita dolet, ut amplius nollet peccare, licet non daretur poena. Illa retrahit à peccato manum,

non mentem; haec et mentem, et manum. 3.^o Dolor vel est *universalis*, si se extendat ad omnia peccata commissa; vel *particularis*, si ad aliqua tantum. 4.^o Denique dicitur dolor *formalis*, qui à virtute poenitentiae procedit, ita ut sit vera detestatio; et *virtualis*. seu potius *interpretativus*, qui includitur in charitate; nam qui Deum diligit, virtualiter de offensis dolet.,.

Punct. II. De necessitate doloris.—Principia. I. An dolor de peccatis sit necessarius ad justificationem peccatoris, sive in Sacramento, sive extra Sacramentum, et quo sensu. “Constat: 1.^o ex Scripturis: 2.^o ex definitione Ecclesiae: 3.^o ex ratione. Ratio sic: quia sicut peccator voluntariae recessit à Deo, et se convertit ad malum, ita oportet, ut reconciliationem et gratiam non accipiat, nisi per propriam voluntatem à malo se avertat, et convertat ad Deum.,. II. An dolor de peccatis sit etiam necessarius necessitate praecepti. III. Quando obligat peccatori praeceptum sese convertendi ad Deum, sive per dolorem perfectum cum voto Sacramenti, sive per imperfectum cum ipso Sacramento. “Obligat *per se*: 1.^o in periculo mortis: 2.^o aliquando in vita. Obligat *per accidens*, quando urget aliud praeceptum.,.—*Quaesita. Circa III.*—An praeceptum se convertendi ad Deum, obliget statim post patratum mortale peccatum.—Quaenam dilatio peccatum grave inducat. An qui in articulo mortis, suscipit Sacramentum Poenitentiae cum attritione, teneatur insuper elicere actum doloris perfecti, seu contritionis. (Cetera quaesita pertinent ad dotes seu conditiones doloris.)

LECTIO 5.^a F.

Punct. III. De dotibus doloris. Quibus dotibus gaudere debeat dolor de peccatis, ut sit dispositio et materia proxima Sacramenti Poenitentiae.—Quando dolor dicitur *verus et internus*.—Quid requiritur, ut sit *supernaturalis*.—Quae motiva dantur supernaturalia, seu per fidem cognita.—Quando dolor dicitur *summus appetitativus*.—Quid requiritur, ut dolor sit *universalis*. “Amplius, qua Poenitentia Sacramentum est, dolor debet esse *sensibilis*, quia signa sensibilia sunt Sacramenta. Attamen non requiritur dolor perfectus, sed sufficit imperfectus, seu attritio, etiam formidolosa, dummodo sit simpliciter servilis, non vero serviliter servilis. Denique una cum dolore requiritur *amor initialis*, seu aliquod initium amoris Dei. Quoad venialia, dolor eisdem dotibus gaudere debet, una tantum excepta, nempe, ut sit *universalis*.,.—*Quaesita. In genere.*—An praeter dolorem requirantur actus expliciti Fidei et Spei. (n. 445. Q. 4.) An contritio debeat praecedere confessionem. (447.)—An ad Sacramentum valide suscipiendum sufficiat dolor virtualis, et per quan-

tum temporis moraliter perseveret. (Ibi. Q. 7.)—An dolor debeat esse elicitus in ordine ad absolutionem. (Nota.)—An requiratur novus actus doloris ad novam absolutionem recipiendam, quando poenitens statim post absolutionem peccatum mortale ex oblivione omissum confitetur. (448.) *Circa I.*—Quaenam temporis diuturnitas exigatur ad *verum et internum* dolorem concipiendum. (450. Q. 3.) *Circa III.*—An dolor *intensive summus* esse debeat. (450.)—An ad hoc, ut sit summus, requiratur comparatio formalis inter varia mala et peccatum. (Q. 2.) *Circa IV.*—An valide suscipiat Sacramentum, licet informe, qui ad illud accedit sine dolore de omnibus peccatis, cum dolore tamen de aliquo. (448. Q. 9.) *Circa VII.*—An attritio formidolosa sufficiat ad justificationem in Sacramento. (451. Q. 5.)—An sufficiat attritio ex metu poenarum temporalium hujus vitae. (Q. 7.) *Circa amorem initialem.*—An initium amoris, quod requiritur cum attritione intelligatur aliquis gradus charitatis perfectae. (453.)—In quo consistat initialis hic amor. (Ibi.) *Circa venialia.*—An pro peccatis venialibus sufficiat attritio ex metu poenarum Purgatorii. (452.)—An peccet, qui confitetur veniale aliquod sine dolore. (446.)

Punct. IV. De efficacia doloris.—*Principia.* I. An dolor perfectus seu contritio hominem peccatorem justificet *per se*, extra Sacramentum. II. An justificet sine voto confessionis, id est, sine obligatione subjiciendi clavibus peccata mortalia. III. An dolor imperfectus, seu attritio etiam *per se* extra Sacramentum justificet. IV. An sufficiat ad obtinendam justificationem in Sacramento tamquam dispositio praerequisita.—Quare dicitur *tamquam praerequisita dispositio*. “Quia non attritio, sed ipsum Sacramentum propria virtute justificat; quare in Sacramento poenitens *ex attrito fit contritus*, id est, ponit *actum* attritionis, et accipit *habitum* contritionis seu charitatis simul cum infusione gratiae.”—*Quaesita* *Circa I.*—An dolor perfectus seu contritio remittat non tantum culpam, sed etiam poenam. *Circa II.*—An votum confessionis debeat esse *explicitum* in contritione. *Circa III.*—An attritio remittat peccata venialia extra Sacramentum.—An contritio vel attritio remittat venialia sine voto Sacramenti.

LECTIO. 6.^a F.

§. II. *De proposito. I. Natura.*—Quid est propositum.—Quotuplex distinguitur. II. *Necessitas.*—An propositum sit necessarium ad remissionem peccatorum, et quo sensu. III. *Notes.*—Quibus dotibus propositum gaudere debeat.—In quo consistat *firmitas* propositi.—Quid requiritur, ut propositum sit *efficax*.—An debeat esse *efficax*, non tantum *affective*, sed etiam *effective*.—Quid requiritur, ut propositum dicatur *universale*.—An propositum de venialibus etiam

universale esse debeat.—*Quaesita. Circa dotes.*—An propositum debeat esse explicitum. (Q. 3.)—An ut propositum sit firmum, debeat insuper constans reperiri. (Q. 1.)—An firmum censi possit propositum illius, qui habet quidem animum non peccandi, pertimescit tamen se relapsurum.—Quale propositum requiratur, et sufficiat pro venialibus.—Quid in praxi fidelibus sit suadendum.

LECTIO 7.^a F.

Art. II. De confessione.—Quid est confessio sacramentalis. Agendum: 1.^o de necessitate: 2.^o de dotibus: 3.^o de iteratione confessionis.—§. I. *De necessitate confessionis.*—*Principia.* I. An confessio sacramentalis peccatorum mortalium sit necessaria ad salutem *de jure divino*, seu ex voluntate Christi. II. An sit etiam necessaria *de jure ecclesiastico*, seu ex praecepto Ecclesiae. III. Quando obligat praeceptum tum divinum tum ecclesiasticum confessionis. An praeceptum divinum statim obliget ac patratum est peccatum, vel quonam tempore urgeat.

§. II. *De dotibus confessionis.* 1.^o in genere: 2.^o de integritate in particulari.—*Punct. I. De dotibus confessionis in genere.*—Quae sunt praecipuae dotes, quibus confessio sacramentalis gaudere debet.—In quo consistat *integritas* confessionis.—Quid requiritur, ut confessio dici possit *simplex*.—Quomodo fieri debeat, ut sit *humilis*.—Quomodo, ut sit *discreta*.—Quid requiritur, ut sit *fidelis*, seu *sincera*.—Quid requiritur, ut sit *vocalis*.—Quid, ut sit *moerens*, seu *dolorosa*.—Quid, ut dicatur *pura*.—Quid, ut sit *obediens*, seu *parere parata*. “Haec quoad poenitentem. Deinde necesse est, ut ea, quae is confitetur, Confessarius aure percipiat; *quia confessio non fit nisi audienti*. Ideo pro non dicta erunt, quae quis confitetur Sacerdoti surdo, vel dormitanti, vel ebrio, vel distracto; et nisi bona fides excuset, mortale est.”—*Quaesita. Circa vocalem.*—An confessio facta per litteras Confessario absentis, sit valida. (Nota.) *Circa fidelem.* An defectus sinceritatis circa unum tantum mortale, sit grave. (471. R. 7.)—An sit semper mortale mentiri in confessione. (474.)—An officiat sinceritati, qui accusat venialia Confessario ordinario, mortalia vero alteri. (475.)—An qui simulat aliam vocem, ne à Confessario agnoscat. (476.)

LECTIO 8.^a F.

Punct. II. De integritate confessionis in particulari. “Integritas confessionis in hoc consistit, ut poenitens peccata omnia mortalia confiteatur, uti sunt, et Confessarius ea, uti confitentur, intelligat.

Verum hic adnotandum est legem divinam, quae confessionem integram praecipit, humaniter, prout ceterae leges positivae, et pro fragilitate hominum applicandam esse, ac proinde non obligare, cum sive phisice sive moraliter impossibilis evadit. Hinc duplex distinguitur confessionis integritas: *materialis*, si reipsa omnia, quae commissa sunt, peccata confiteantur; et *formalis*, si confiteantur omnia, quae quis hic et nunc, sive ex oblivione sive ex alia causa, confiteri potest et tenetur. Agendum: 1.^o de necessitate integritatis: 2.^o de causis ab integritate materiali excusantibus.

n. 1.^o *De necessitate integritatis confessionis.*—*Principia.* I. Confessio omnium et singulorum peccatorum mortalium, quae quis post Baptismum commisit, et nondum rite confessus est, necessaria est de jure divino ad remissionem, ac proinde ad salutem. Constat: 1.^o ex definitione Ecclesiae: 2.^o ex Scripturis: 3.^o ex Tridentino. II. Ad validitatem et fructum confessionis non semper necessaria est integritas *materialis*, sed aliquando sufficit integritas *formalis*. III. Ad integritatem confessionis praerequiritur diligens examen conscientiae. IV. Vi legis integritatis confessionis poenitens tenetur confiteri sua peccata: 1.^o unumquodque prout commisit, ac proinde *speciem etiam infimam* peccati. (R. 1.) 2.^o si illud iteravit, quoties admisit, ac proinde *numerum peccatorum*: 3.^o circumstantias, quae mutant peccati speciem, sive moralem sive theologiam: 4.^o actum externum peccati, si non defuerit: 5.^o peccata mortalia in confessione oblita vel omissa. Et haec certo: utrum vero etiam peccata dubia, et circumstantias speciem non mutantem, et effectus peccati, quaestio est.—Quaeritur de singulis.

I. *Circa speciem.*—Ad quid tenetur, qui speciem infimam peccati patefacere non potest. (R. 2.)—Quid si ignorat aut non meminit speciem etiam genericam. (R. 3.)

II. *Circa numerum.* Ad quid tenetur, qui nequit recordari de numero certo. (R. 4.^o)—Quid si neque summam peccatorum verissimilem declarare possit. (5.)—Qualis numerus censeatur comprehendi in particula *circiter*. (Q. 1.)—An debeat postea declarari excessus notabilis, si post confessionem reperiatur.—An qui erravit notabiliter exaggerando numerum, debeat postea id quoque in confessione declarare.

III. *Circa peccata dubia.* “Dubium triplex: *facti, qualitatis, et confessionis*.”—An confitenda sint peccata mortalia dubie commissa.—An dubie gravia.—Quae regulae pro praxi tradi soleant.—An peccata certo commissa, et dubie confessa.—An qui confessus est aliquod peccatum tamquam dubium, debeat illud repetere, si ut certum postea cognoscat.—An quis, non praemissa confessione, possit accedere ad Communionem cum peccato mortali dubio seu probabili.

IV. *Circa circumstantias.*—Quid sint circumstantiae peccati.—

Quomodo circumstantiae distinguuntur.—Quae circumstantiae certo declarandae sint in confessione. (P. I. et III.)—Quaenam non necessario sunt accusandae. (P. II.)—An declarandae sint circumstantiae *notabiliter aggravantes*. (Q. 1.)—An circumstantia consuetudinis peccati.—An circumstantia gradus incestus patrati cum consanguineis vel affinibus.—An circumstantia dignitatis personae.—An circumstantia peccati Confessarii cum poenitente commisi.—An circumstantia temporis sacri.—An qui peccatum *recenter* commisit, debeat hanc circumstantiam declarare. (Q. 7.)—An poenitens declarare debeat diversas personas, cum quibus peccavit. (Q. 10.)—An ligatus voto castitatis peccans cum alio similiter ligato, debeat utramque circumstantiam declarare.—An Sacerdos vel Religiosus peccans contra castitatem, conditionem suam aperire debeat, vel solam voti castitatis circumstantiam.—An declaranda sit propinquitas personarum in peccatis odii.

V. *Circa actum externum*.—An necessario accusandus sit actus externus peccati. (n. 489.)

VI. *Circa effectum peccati*. “Quaestio agitur de illis effectibus, qui imputantur, quia *praevidentur*, et aliunde *possunt*, et *debent* caveri. Primo omnes conveniunt hos effectus confitendos esse: 1.^o si *censura* eis cohaereat, ut Confessor sciat quid absolvat, v. g. effectus secutus abortus; vel 2.^o *reservatio*, ne forte non possit absolvere, v. g. mors secuta in homicidio; vel 3.^o si Confessarius de his interroget poenitentem, v. g. consumptio domus in incendio. Extra hos casus controvertitur. Plures affirmant, quia tales effectus sunt mali, saltem in causa, et peccatum complent; et sic dicunt confitendam esse pollutionem in somno habitam, si voluntaria fuerit in causa, puta, in prava lectione vel delectatione. Plures vero negant, quia hi effectus sunt mali tantum *denominative*; et ideo sufficit confiteri causam, in qua effectus tacite confiteri videntur. Attamen si effectus non apparerent ex confessione causae, videtur quod confessio non foret integra, v. g. si quis propter ebrietatem omiserit Sacrum in die festo, vel blasphemaverit, vel occiderit: unde is saltem debet declarare se, vino indulgendo, haec pericula subiisse.”

VII. *Circa peccata oblita vel omissa*. (n. 494.)—An peccata *mortalia* in confessione oblita, vel ex justa causa omissa, confiteri debeant, cessante causa, vel oblivione.—An confitenda sint *quamprimum*.—An ante Communionem, si prius menti occurrant.—An qui recordatur peccati obliti, neque potest (aut non vult) confiteri, ante Communionem ad actum contritionis eliciendum teneatur.—An necessario absolvi debeat iterum, qui accusat peccatum grave in praecedenti confessione oblitum vel omissum, et jam directe remissum.—An Confessarius possit omittere absolutionem, si poenitens cum ipso redire soleat.

LECTIO 9. F.

n. 2. *De causis ab integritate materiali excusantibus. Principia I.* An dentur causae ab integritate materiali excusantes, et quae. II. An excuset aliqua difficultas, quantumvis gravis ipsi confessioni *intrinseca*. III. An excuset magnus poenitentium concursus, v. g. aliquo die festo solemniori. (n. 471. R. 6.) IV. Ut aliquis ratione impotentiae moralis, censeatur ab integritate materiali excusatus, licet peccata menti occurrant, requiritur: 1.^o gravissimum incommodum *extrinsecum* sive spirituale sive temporale, vel ipsius poenitentis, vel Confessarii, vel tertii: 2.^o ut non possit inveniri alius Confessarius, cui confessio integra fiat absque tali incommodo: 3.^o ut confessio sit hic et nunc necessaria: 4.^o ut ea tantum peccata omittantur, quae declarari nequeant. V. An, cessante causa excusante, peccata omissa confiteri debeant.--*Quaesita*.--Quae causae excusant, regulariter loquendo, *ratione impossibilitatis phisicae*. (R. 1. 2. 3.)--Quaenam excusent *ratione impossibilitatis moralis*. (4. 5. 6. 7.)—An vel quomodo surdi simul et muti confiteri teneantur. (Q. 6.)—An muti scientes scribere, teneantur scripto confiteri ad procurandam confessionis integritatem.—An vel quomodo confiteri teneantur ignari idiomatis loci, in quo confiteri volunt. (Q. 8.)—An teneantur confiteri per interpretem, si possint.—An sit obligatio confitendi peccatum mortale, quod explicari nequit sine complicitis manifestatione. (Q. 1.)—Quaenam sint causae excusantes á quaerendo alio Confessario, cui complex sit ignotus.—An sit aliqua prohibitio facta Confessariis inquirendi nomen complicitis, et sub quibus poenis. (Q. 3. Nota.)—An in nullo casu id liceat. (Nota.)—An sit obligatio confitendi peccatum mortale, quod declarari non possit sine difamatione alterius, qui fuit occasio peccati. (Q. 5.)

LECTIO 10. F.

APPENDIX I. *De confessione et absolutione moribundorum*.—*Principia*. I. Qui moribundi absolvi possunt et debent, et quidem *absolute* (R. 1.) II.--Quinam absolvi possunt et debent, saltem *conditionate*. (R. 1.) III.--Quinam nullo modo possunt absolvi.—*Quaesita*. *Circa moribundos sensibus destitutos*.—An vel quomodo absolvendi sint moribundi sensibus destituti, qui ante sensuum privationem expresse confessionis desiderium ostenderunt. (R. 2.)--An vel quomodo absolvendi sint, qui nullum signum desiderii confessionis dederunt. (3.) Quid si parum christiane vixerint. (4. Nota.)—Quid si destituti sensibus fuerint in actu ipso peccati.

APPENDIX II. *De examine conscientiae* Examen conscientiae

est recordatio peccatorum in particulari.—*Principia*. I. An poenitens teneatur sub gravi diligens examen peccatorum mortalium ante confessionem instituere. II. Quae diligentia in examine adhiberi debeat. (Nota.) III. An aequalis diligentia ab omnibus requirenda sit. (Nota.) IV. Qualis ordo sit sequendus in examine conscientiae. (Q. 2.)—*Quaesita*.—Quando quis censetur graviter peccare, *per se loquendo*, ex defectu examinis. (R. 1.)—Quinam non tenentur ad examen *adeo rigorosum* ante confessionem (2. 3. 5.)—An poenitens, qui timet ne peccata è memoria excidant, teneatur ea scribere, et scripta legere.—Quid agendum Confessario, si poenitentes non satis discussa conscientia accedant

LECTIO 11. F.

§. III. *De iteratione confessionis*.—*Principia*. I. Quae confessiones necessario repetendae sint. II. An confessio certo valida, sed non integra, sit necessario repetenda. III. An necessario repetenda sit confessio, de cujus invaliditate moraliter certo non constat. IV. An repetitio confessionis invalidae *ex integro* facienda sit.—*Quaesita*. *Circa I.*--An qui confessus est Sacerdoti jurisdictione carenti, teneatur confessionem iterare. (R. 2.)—An sit obligatio repetendi confessionem, si Confessarius peccatum grave judicaverit esse veniale. (R. 3.) *Circa III.*--An repetenda sit confessio cum dubia contritione facta. (Q. 2.)--An sint cogendi recidivi ad confessiones praecedentes repetendas. (Q. 3.)—An poenitens, qui timet, ne diu invalide confessus sit, teneatur confessiones repetere. (R. 4.) *Circa IV.*--An confessio invalida apud eundem Confessarium ex integro sit repetenda, si in confusso tantum hic de peccatis accusatis recordetur. (Q. 1.)—Quid si Confessarius de peccatis confessis omnino oblitus fuerit.--An repetenda sint explicite omnia peccata, quae antea Confessario mere historice extra confessionem enarrata fuerint. (Q. 4.)--An repetenda sit confessio, si Confessarius ante absolutionem oblitus fuerit peccatorum accusatorum.--An teneatur poenitens confessionem repetere, si animadvertat Confessarium ob somnum peccata aliqua non percepisse. et nesciat qualia.—An Confessarius excipiens confessionem poenitentis, qui praeteritis annis male confessus est, possit aliquando non interrogare de confessionibus praecedentibus. (R. 1.)

LECTIO. 12. F.

APPENDIX. *De confessione generali*.—Quid est confessio generalis. Agendum: 1.^o de ipsius necessitate vel utilitate: 2.^o de modo

illam peragendi. I. *De necessitate vel utilitate confessionis generalis.* An confessio generalis semper dicenda sit necessaria.—Quandonam *necessaria* censenda sit.—Quando suaderi potest, ut *valde utilis*. Quando permittenda est, aut etiam *prudenter* suadenda, ut *conveniens*.—Quando prohibenda est, ut *inutilis*, et etiam *nociva*.—*Quaesita.* An Confessarius possit compellere omnes poenitentes ad confessionem generalem instituendam. (R. 4.)—Quibus poenitentibus illam permittere non debet, imo et omnino interdicere. (5. 6.)—Quomodo in ceteris casibus se gerere debeat, sive suadendo, sive permittendo confessionem generalem. (1. 2. 3.) “Notandum tamen est, quod non raro evenit, ut confessio generalis, quae prius non nisi utilis, postea necessaria dignoscatur.”

II. *De modo peragendi confessionem generalem.*—Quae regulae tradi soleant pro faciliori expeditione confessionis generalis.—Quid Confessarius inquirere debeat *ante confessionem*.—Quid servare oportet *in ipsa confessione*.—Quid *circa modum confitendi* seu peccata declarandi. Norma interrogandi.

LECTIO 13. F.

Art. III De satisfactione. “Satisfactio sacramentalis definitur: *Opus à Confessario injunctum poenitenti, tum eluendis tum cavendis peccatis.* Etiam dicitur *poenitentia*, quia poena est. Satisfactio seu poenitentia est duplex: *vindicativa*, quae primario tendit ad vindictam et castigationem peccatorum praeteritorum; et *medicinalis*, quae ad novae vitae custodiam et medicamentum. Agendum: 1.º de impositione: 2.º de acceptatione et impletione poenitentiae. §. I. *De impositione poenitentiae. Principia I.* Confessarius tenetur satisfactiones seu poenitentias imponere, tum vindicativas, tum medicinales. Illas ex justitia: 1.º quia minister est Sacramenti: 2.º quia iudex est. Has ex charitate, quia est pater et medicus. Constat insuper ex Tridentino. II. Poenitentiae à Confessario injungendae debent esse convenientes et salutare: 1.º *Convenientes*; et hac de re *vindicativas* metiri debent ex qualitate criminum; *medicinales* ex infirmitate poenitentis, et maxime ex occasionibus et habitibus, et regulariter contrarias peccatis. 2.º *Salutares*; et ex hoc capite habenda est ratio facultatis poenitentis, sive corporis, ut ecce aetatis, valetudinis, sexus, status; sive animi.—*Quaesita. Circa I.* Quanta sit obligatio imponendi poenitentiam.—Quandonam imponenda sit poenitentia.—Quanta poenitentia peccatoribus imponenda sit.—Qualis poenitentia *per se* censeatur gravis pro uno vel altero peccato mortali.—Quibus de causis poenitentia levior imponi possit. An possit imponi poenitentia sub conditione relapsus.—An possit imponi poenitentia publica.—An possit imponi pro poenitentia opus

alias debitum. *Circa* II. Quae poenitentiae non censeantur *salutares*. regulariter loquendo. (Resolves.)

§. II. *De acceptatione et impletione poenitentiae.*—*Principia.* I. An poenitens teneatur acceptare et implere *rationabilem* poenitentiam ipsi à Confessario injunctam. II. An teneatur sub gravi. III. Quando et quomodo poenitens implere debet poenitentiam. IV. “Si revera Confessarius erraverit, aut aliquid supervenerit, quod impositam poenitentiam graviolem reddit, poenitens non prohibetur commutationem ejus petere.”—*Quaesita.* *Circa* I. An poenitens teneatur adimplere poenitentiam, quando invalida fuit confessio, vel poenitentia imposita fuerit sine absolutione. (R. 1.) *Circa* II. An obliget sub gravi poenitentia in se quidem gravis, sed pro solis venialibus imposita. (Q. 1.)—An confessarius pro gravibus culpis possit imponere poenitentiam gravem quidem, sed leviter obligantem.—An poenitens teneatur sub gravi implere circumstantias poenitentiae adjectas, v. g. ut oret flexis genibus.—An peccet graviter poenitens, qui omittit aliquam poenitentiae partem. (R. 2.)—Quae omissio censenda sit gravis. (R. 3.) *Circa* III. (Quando.)—Quaenam dilatio poenitentiae sit grave peccatum. (Q. 6.)—(Quomodo.) An satisfaciat, qui poenitentiam impleat in mortali. (Q. 4.)—An peccet. (Q. 5.)—An poenitentia adimpleri possit simul ac aliud praeceptum, v. g. recitando preces injunctas in Missa de praecepto. (R. 4.)—An duae Misse à Confessario impositae in poenitentiam, possint audiri simul et eodem tempore. (6.)—An poenitentia possit per alterum adimpleri. (5.) *Circa* IV. An poenitentia commutari possit ab ipso poenitente. (Q. 8.)—Quis illam possit commutare (Ibi.)—An poenitens teneatur confessionem repetere ad poenitentiae commutationem obtinendam.—An Confessarius possit poenitentiam commutare extra confessionem.—An poenitens, qui commutationem quaerit, teneatur mentionem facere de praecedenti confessione, et accepta poenitentia. (R. 8.)—Quid facere debeat poenitens, cui difficilior poenitentia injungitur. (R. 7.)—An, si poenitens injunctae poenitentiae oblitus fuerit, teneatur confessionem repetere, ut aliam poenitentiam recipiat. (Q. 7.)

APPENDIX. *De poenitentiis utilius imponendis.* “Ex Tridentino sess. 14. can. 13, satisfacere possumus jejuniis, orationibus, elemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus. Ad *jejunium* referuntur omnia opera mortificationis, sive carnis sive sensuum; ad *orationem* omnes actus religionis et pietatis; ad *elemosynam* omnia opera missericordiae, sive corporalia sive spiritualia.”. I. Opera pietatis utilius imponenda. II. Opera mortificationis. III. Poenitentiae medicinales.

LECTIO 14. F.

Cap. IV. De Ministro Poenitentiae. “Minister hujus Sacramenti est Sacerdos habens jurisdictionem ordinariam vel ex commissione.” Ita Eug. IV. in Decreto pro Armenis. Sane Poenitentia et sacramentum et iudicium est: qua sacramentum, requirit in Ministro ordinem presbyteralem; qua iudicium, requirit jurisdictionem. Haec de jure divino. Praeterea ex Tridentino requiritur etiam ut Minister sit approbatus, licet in praesenti, quoad sacerdotes saeculares, approbare et jurisdictionem dare idem sunt. Agendum: 1.^o de potestate Ministri: 2.^o de ejus officio. *Art. I. De potestate Ministri.* Ad potestatem adaequatam Ministri Poenitentiae tria requiruntur: 1.^o potestas Ordinis: 2.^o potestas jurisdictionis: 3.^o approbatio. De singulis.

§. I. *De potestate Ordinis.—Principia.* I. Soli Sacerdotes sunt ministri Sacramenti Poenitentiae. II. Absolutio sacramentalis Sacerdotis est actus judicialis, et non nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti. III. Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi atque solvendi non amittunt.

§. II. *De approbatione.* Quid dicitur approbatio.—Quale hoc iudicium esse debeat, ut sit adaequatum.—An necessario requirat examen.—Approbatio vel est *absoluta*, vel *cum limitatione*, sive personarum, sive temporis, sive loci.—*Principia.* I. An approbatio sit necessaria ad confessiones, tum licite tum *valide* suscipiendas, et quo jure. II. Quisnam potest Sacerdotes approbare ad audiendas confessiones. III. A quo Episcopo habenda sit approbatio.—*Quaesita.* An sufficiat approbatio praesumpta, vel rati habitio approbationis. (Q. 3.)—An Episcopus possit valide et licite limitare approbationem.—Quaenam sint justae causae approbationem limitandi.—An possit Episcopus valide et licite revocare approbationem concessam.—An Episcopus Sacerdotem extraneum approbare possit.—An Parochus possit suos subditos absolvere in aliena dioecesi sine approbatione Ordinarii illius loci. (Q. 2.)

LECTIO. 15. F.


§. III. *De jurisdictione.* 1.^o De jurisdictione in se: 2.^o de jurisdictionis limitatione, seu de reservatione casuum,—*Punct. I. De jurisdictione in se.* Jurisdictio generatim sumpta definitur: *Potestas moralis regendi subditos.* Si sit in ordine ad temporalia, *civilis*; si ad spiritualia, *ecclesiastica* audit. Haec duplex: alia *in foro externo*, quae primario publicam corporis fidelium utilitatem rescipit, uti

potestas ferendi leges; alia *in foro interno*, quae primario ad privatam utilitatem uniuscujusque fidelis refertur. Haec exercetur per Sacramenta, instructiones, reprehensiones, et similia. Jurisdictio fori interni iterum duplex: alia *fori poenitentialis*, quae exerceri nequit nisi intra ipsum tribunal Poenitentiae; alia *fori extra-poenitentialis*, quae extra praedictum tribunal exercetur. Hic de prima agimus. Jurisdictio ergo fori poenitentialis definitur: "*Potestas absolvendi vel ligandi in tribunali Poenitentiae*. Datur in potentia seu *in radice* in sacra Ordinatione; explicatur per subditorum assignationem. Sic enim Christus disposuit, dum voluit hanc potestatem exerceri instar judicii. Alia est *ordinaria*, et alia *delegata*. Illa dicitur, quam quis habet et exercet *nomine proprio*, nempe vi officii sui, aut dignitatis. Ista, quae exercetur nomine et commissione alterius, cujus vices fungitur. Rursum jurisdictio delegata est: 1.^o *universalis* vel *particularis*, prout alicui committitur vel universalitas causarum, vel aliqua causa particularis et determinata: 2.^o *absoluta* vel *limitata*; et haec limitari potest, vel quoad tempus, vel quoad personas, vel quoad loca. 3.^o *Directe* vel *indirecte delegata*, prout ipsi Sacerdoti decernitur, vel facultas ipsis fidelibus datur, v. g. eligendi quemlibet Confessarium ex approbatis, per quem à reservatis absolvi possint 4.^o Delegata à *jure* vel *ab homine*, prout commissio fit à lege, canone, aut consuetudine, vel à voluntate Superioris. Denique jurisdictio differt ab approbatione: 1.^o quia approbatio et simplex iudicium de idoneitate, jurisdictio autem est collatio potestatis: 2.^o haec necessaria est *jure divino* ad valide suscipiendas confessiones; illa *jure tantum ecclesiastico*. Agendum est: 1.^o de necessitate jurisdictionis in genere: 2.^o de jurisdictione Regularium: 3.^o de jurisdictione quoad Moniales.

n. 1.^o *De necessitate jurisdictionis in genere. Principia I.* An ad confessiones valide suscipiendas, praeter potestatem Ordinis, requiratur potestas jurisdictionis, sive ordinaria sive delegata. II. Quibus in Ecclesia competat jurisdictio ordinaria. III. An jurisdictio ordinaria possit delegari. IV. Jurisdictio ordinaria expirat per cessationem ab officio vel beneficio, cui est adnexa. V. Jurisdictione delegata pollent hi omnes, qui habent commissionem à jure vel ab homine, sive directe sive indirecte. VI. A jure jurisdictio delegata conceditur cuilibet Sacerdoti pro quibuslibet poenitentibus in articulo mortis. Constat ex Conc. Trident. sess. 14, c. 7., ubi ait: *Ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes à quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* VII. Insuper suppletur à jure in duobus casibus: 1.^o quando aliquis jurisdictionem non habens, illam exercet cum titulo colorato et errore communi, de quo in secundo quaesito: 2.^o in re dubia, modo dubium non sit *facti*, sed *juris*, et opinio Theologorum sit vere

probabilis; et de hoc agitur in quaesitis tertio et quarto. VIII. Jurisdictio delegata expirat: 1.^o per revocationem Superioris: 2.^o per lapsum temporis; 3.^o morte delegantis, vel ejus cessatione ab officio, si data fuerit pro aliqua persona particulari, et judicium nondum inceptum sit; *non* vero si generaliter data fuerit vel cum clausula *ad beneplacitum nostrum* (*S. Cong. Episc. et Reg. 19. Jun. 1806.*) IX. Jurisdictio delegata subdelegari nequit, nisi in duplici casu: 1.^o si accedat specialis concessio delegantis: 2.^o cum alicui committitur aliquod officium cum delegatione ad universitatem causarum, uti si quis substituatur in locum Parochi defuncti, aut impediti. (Q. 1.) Et hic potest jurisdictionem suam subdelegare, non quidem totam, sed pro una vel altera causa. Verum haec ad jurisdictionem in foro poenitentiali non pertinent.

Quaesita. Circa II. An Vicarius generalis habeat jurisdictionem ordinariam *in foro externo*, ita ut possit alios delegare ad confessiones audiendas. (Q. 5.)—An Succursalistae in Gallia jurisdictione ordinaria gaudeant. (Q. 14.)—An Parochus possit advocare Parochos ejusdem vel diversae diocesis ad confessiones in sua parochia audiendas. (Q. 9.)—*Circa V.* An Sacerdos, qui habet jurisdictionem delegatam ab Episcopo, possit audire confessiones fidelium sine venia Parochi. (Q. 10.)—An, qui habet jurisdictionem in aliquo loco, excipere valeat confessiones peregrinorum eo advenientium. (Q. 12.)—An Episcopus possit sub poena invaliditatis prohibere, ne dioecesani pergant ad confitendum extra dioecesim. (Q. 13.)—An simplex Sacerdos possit absolvere navigantes in Oceano, vel á quo obtinenda sit jurisdictio. (Q. 15.)—An Cappellani militum eos ubique sine delegatione Episcopi loci absolvere possint. (Q. 19.) *Circa VI.* An haeretici, apostatae, et excommunicati valide absolvant in articulo mortis, deficiente alio Sacerdote. (Q. 6.)—An simplex Sacerdos possit absolvere, non tantum in articulo, sed etiam in periculo mortis. (Q. 7.)—An possit simplex Sacerdos absolvere moribundum, etiam praesente Confessario approbato. (Q. 8.)—*Circa VII.* An Ecclesia suppleat jurisdictionem, quando poenitentes ipsius defectum invincibiliter ignorant. “*Titulus* dicitur fundamentum jurisdictionis, quod in jurisdictione ordinaria est officium seu beneficium, et in delegata *litterae patentes* Episcopi, (licencias.) Titulus multiplex distinguitur; nempe, *verus* seu *legitimus*, *coloratus* seu *putativus*, et *existimatus* seu *fictus*., (Q. 2.)—Quid si titulus sit *fictus*. (Ibi.)—Quid si error sit *particularis* seu *privatus*. (Ibi.)—An Ecclesia suppleat in dubio de jurisdictione. “*Dubium* potest esse *facti* vel *juris*. *Facti*, v. g. si dubitem, an mihi mandata fuerit jurisdictio, vel an tempus concessionis praeterierit. *Juris*, cum de jurisdictione certo habita seu concessa dubitatur seu controvertitur, utrum ad hos vel illos casus se extendat, v. g. utrum jurisdictio à Tridentino concessa pro articulo mortis simplici Sacerdoti, intelligenda sit etiam praesente



Confessario approbato. De dubio facti. (Q. 3.) De dubio juris. (Q. 4.) *Circa VIII.* An delegatus valide et licite absolvat, elapso termino delegationis, si turba poenitentium affluat ad aliquam magnam solemnitatem. (Q. 11.)

LECTIO 16. F.

n. 2. *De jurisdictione Regularium.* Duplex quaestio: 1.^a A quo Confessarii Regulares approbationem et jurisdictionem accipere debeant ad confessiones audiendas. 2.^a Cuinam confiteri debeant peccata sua subditi regulares. *Principia. Circa primam quaestionem.* I. Confessarii Regulares ratione privilegiorum et immediatae dependentiae à R. Pontifice, jurisdictionem ab ipso Pontifice per Praelatos proprii Ordinis accipiunt II. Confessarii Regulares ad audiendas *suorum* confessiones, approbationem accipiunt à Superioribus sui Monasterii vel Ordinis. III. Confessarii Regulares ad audiendas confessiones *saecularium*, approbationem accipere debent ab Episcopo loci, ubi confessiones audiant. Idem ad audiendas confessiones Monialium, de quibus infra. *Circa secundam quaestionem.* I. Personae regulares non possunt, saltem ordinarie, extra Ordinem suum peccata confiteri sine consensu Superiorum suorum. II. Degentes in Monasterio nemini alteri confiteri possunt, quam Confessario à Superiore designato. III. Extra Monasterium, seu iter agentes, tenentur confiteri socio, si quem idoneum habeant: alias possunt confiteri cuilibet Sacerdoti, sive regulari, sive saeculari. *Quaesita circa primam quaestionem. Circa II.* An Regulares absolvere possint sine Episcopi approbatione famulos vel alios familiares in monasterio degentes. (Q. 10.)—An alumnos convictores, utpote de familia. (Q. 11.) *Circa III.* An approbatio Episcopi ad audiendas confessiones saecularium, requiratur ad validitatem absolutionis. (R. 1.)—An Episcopus possit sine causa approbationem denegare Regularibus. (Q. 2.)—An illos approbare possit cum limitatione.—An revocare approbationem semel concessam.—An approbatus *simpliciter* sive *absolute*, ad examen revocare.—Quomodo approbatio Episcopi interpretanda sit. (R. 3.^o 4.^o 5.^o 6.^o)—An Regularis semel approbatus in aliqua dioecesi, nova indigeat approbatione, si mutata habitatione, eodem redeat. (Q. 6.)—Quid, si tantum per eandem dioecesim transeat.—An Regularis valide absolvat saeculares ex delegatione Episcopi, sed inscio Superiore.—An Superiore invito.—*Circa secundam quaestionem.* An Regulares extra domum, deficiente socio idoneo, confiteri valeant Sacerdoti non approbato. (Q. 1.)

n. 3. *De jurisdictione quoad Moniales.* Duplex quaestio: 1.^a A quo Confessarii Monialium approbationem accipere debeant. 2.^o Cui

Confessario Moniales debeant confiteri. *Principia. Circa primam quaestionem.* I. Ad audiendas confessiones Monialium omnes Confessarii, quicumque illi sint, indigent approbatione Episcopi loci. II. Ex Bulla *Superna* Clementis X. tria haec statuta manent: 1.^o Ad Monialium confessiones excipiendas non sufficere approbationem generalem ad confessiones audiendas, sed requiri specialem pro Monialibus: 2.^o Approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius monasterii, minime posse audire confessiones Monialium alterius monasterii. 3.^o Confessarios extraordinarios semel deputatos atque approbatos ab Episcopo pro una vice audiendis confessionibus, haud posse, expleta deputatione, in vim approbationis hujusmodi Monialium confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. *Circa secundam quaestionem.* I. Moniales non possunt confiteri nisi Confessario designato á suo Superiore. Imo unus dumtaxat pro singulis Monasteriis generaliter deputandus est, in quo sit *aetatis maturitas, morum integritas, et prudentiae lumen.* (Bened. XIV. in Bulla *Pastoralis curae*.) II. Ex Tridentino sess. 25. de Reg. Monialibus c. 10. praeter ordinarium Confessarium alius extraordinarius ab Episcopo et aliis Superioribus bis aut ter in anno Monialibus offeratur, qui omnium confessiones audire debet. III. Eo tempore, quo Confessarius extraordinarius suo officio fungitur, ordinarius nullum ipsi impedimentum afferre audeat, multoque minus praesumat per id temporis alicujus Monialis, neque alterius cujuscumque personae intra septa Monasterii vel piae domus comorantis sacramentalem confessionem audire. (Bulla *Pastoralis curae*.) IV. Confessarius extraordinarius, postquam suum officium expleverit, ulterius ad Monasterium accedere non debet, ullo praetextu spirituale commercium continuando. (Ibi.) *Quaesita. Circa primam quaestionem.* Quid intelligatur hic nomine Monialium. (Q. 2.)—An absolvi possint á quolibet Confessario Moniales claustratae, dum extra monasterium versantur. (Q. 5.) *Circa secundam quaestionem.* An Confessarius extraordinarius ultra duas vel tres vices in anno offerri possit. (566.)—An omnes Moniales teneantur se praesentare Confessario extraordinario, et ipsi confiteri. (Q. 1.)—An Episcopus teneatur concedere Confessarium extraordinarium etiam piis feminarum Congregationibus, quae vere Moniales non sunt. (Q. 4.)—Quid tenendum de Monialibus nunc in Gallia existentibus. (Q. 3.)

LECTIO 17. F.

Punct. II. De limitatione jurisdictionis, seu de reservatione casuum. Reservatio est restrictio seu limitatio jurisdictionis..... Duo autem sunt reservationi obnoxia, censurae et peccata, quae quidem com-

muni nomine dicuntur *casus reservati*. Agendum: 1.^o de principio et natura reservationis: 2.^o de absolute reservationum. n. 1.^o *De principio et natura reservationis.*—*Principia*. I. Datur in Ecclesia potestas reservandi certos casus.... II. Potestas casus reservandi solis competit Ecclesiae Praelatis, nempe, Papae in universa Ecclesia, Episcopis in sua dioecesi, et Praelatis Regularibus erga proprios subditos. Hinc casus reservati, *ratione principii*, alii dicuntur *papales*, alii *episcopales*, alii *regulares*. III. Casus papales, duobus exceptis, adnexam habent censuram, et principaliter propter censuram reservantur; casus autem episcopales ordinarie reservantur sine censura, et propter suam enormitatem. Illi dicuntur reservati *ratione censurae*; hi *ratione gravitatis*. IV. Omnes casus à Papa vel à jure reservati cum censura latae sententiae continentur in Const Pii IX. *Apostolicae Sedis*, et sunt triplicis generis: alii Papae reservati *speciali modo*, alii Papae reservati *generaliter*; alii denique *Episcopis* reservati. V. Casus reservati Episcopis duplicis classis sunt: alii Episcopis reservati à Papa vel à jure cum censura lata vel ferenda; alii ab Episcopis sibi ipsis reservati. Rursum Episcopi casus sibi reservare possunt *intra* vel *extra Synodum*: primi dicuntur *synodales*, postremi *pure episcopales*. VI. Reservata synodalia in hac dioecesi undecim numerantur; videlicet: 1.^o homicidium voluntarium, et infanticidium: 2.^o concubitus cum Moniali, aut Religioso professis: 3.^o concubitus cum muliere, aut viro infideli: 4.^o abortus voluntarius: 5.^o peccatum sodomiae et bestialitatis: 6.^o abusus Hostiae consecratae vel vasorum sacrorum: 7.^o simonia: 8.^o excommunicatus, qui exercet officium sui ordinis, et qui loco interdicto publice celebrat: 9.^o sepeliens scienter excommunicatum vitandum: 10. falsarius Litterarum Episcopaliū: 11. incendiarius Ecclesiarum, et etiam domorum, segetum vel agrorum causa nocendi aut inimicitia. VII. Praelati Regulares possunt in suo Ordine vel monasterio nonnullos tantum casus reservare à Clemente VIII. determinatos qui undecim sunt numero. (Q. 6. Nota.) VIII. Cum reservatio sit strictae interpretationis, et aliunde Ecclesia non solet reservare nisi graviora et externa, ut peccatum aliquod reservatum censeatur, requiruntur haec omnia: 1.^o ut sit *mortale*, non modo ratione objecti, sed etiam malitiae in actu voluntatis: 2.^o *externum*, quatenus praeter gravem malitiam interioris voluntatis, etiam actus exterior secundum se debeat gravitatem habere: 3.^o *opere consummatum*, non quidem in genere suo, sed secundum proprietatem verborum, quae in lege vel praecepto continentur: 4.^o *certum*, et non dubium, tum facti, tum juris, (Q. 3.) 5.^o Denique, si de aliqua censura agatur, haec non incurritur, nisi peccatum conjunctum sit *cum contumacia*. IX. Reservatio afficit immediate Confessarium, et mediate poenitentem; quia potestatem Confessarii immediate attingit. Utrum vero haec jurisdictionis coarctatio habeat per se rationem poenae, quae, utpote extraor-

dinaria, non obligat ignorantes, aut metu agentes, vel non subditos, quaestio est.

Quaesita. Circa III. An in casibus papalibus, sublata censura, etiam peccatum non sit reservatum. (P. IV.)—Quinam sint casus Papae reservati sine censura. (Ibi.)—*Circa V.* Quaenam notanda veniunt ex S. Congregatione Episc. et Regul. circa reservationem ab Episcopis faciendam. (Ibi.) *Circa IX.* An ignorantia censurae excuset ab ea incurrenda. (Q. 1.)—An ignorantia reservationis ab incurrenda excuset. (Ibi. Nota.)—An ignorantia saltem excuset á reservatione, quando cum censura conjungitur.—An absolvi possit subditus alterius dioecesis, si casus est reservatus tantum in loco confessionis. (Q. 4.)—Quid si peccatum sit reservatum in dioecesi poenitentis, non autem in loco confessionis. “Certo non potest, si poenitens ex propria dioecesi in aliam se contulerit *in fraudem reservationis*; nempe, ob *principalem finem* obtinendi absolutionem, vitandique iudicium proprii Pastoris; non vero si abscedat ob aliquem honestum finem, v. g. ut confiteatur cum minori incommodo, vel ut Confessarium incognitum aut prudentiorem inveniat. Extra hunc casum controvertitur.” (Q. 5.)

LECTIO 18. F.

n. 2. *De absolutione reservatorum.* “Notandum est Confessarios absolvere posse á peccatis et censuris vel potestate ordinaria vel delegata, á jure vel ab homine, directa vel indirecta.” *Principium generale. De potestate ordinaria* absolvere possunt á casibus reservatis: 1.^o ipsi reservantes: 2. eorum successores in eadem potestate: 3.^o eorum Superiores, si quos habeant. *De potestate directe delegata*, qui habent ad hoc specialem commissionem á jure vel ab homine, intra limites tamen concessionis. *Ex privilegio poenitentis* (delegatio indirecta,) possunt absolvi á quolibet Confessario approbato poenitentes, qui vi Jubilaei aut Bullae gaudent privilegio absolutionem á reservatis obtinendi. *Ratione articuli mortis* omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes á quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt (delegatio directa á jure.) *Quaesita. Circa casus papales.* An Episcopi habeant á jure potestatem delegatam absolvendi á casibus papalibus. (P. II.)—An etiam á casibus *notoriis* seu *publicis*. “Utique, si “detur difficilis recursus, et periculum in mora. Constat ex jure can. “cap. *Nuper* de Sent. Excomm., ubi, dicitur: “Verum, si difficili sit ex “aliqua justa causa, quod ad ipsum excommunicatorem absolvendus “accedat, concedimus indulgendo ut á suo absolvatur Episcopo vel “proprio sacerdote.” Et haec intelligenda sunt etiam de casibus Papae reservatis *speciali modo*; quia ex hac parte nihil innovatum est per Constitutionem *Apostolicae Sedis*. Attamen ad hoc, ut Episcopi

absolvere possint absoluteione plena, requiritur, ut impedimentum sit *perpetuum*: quod si sit *diuturnum*, puta, ultra sex menses, absolvere debent cum onere comparendi; si denique impedimentum sit *ad breve tempus*, tantum indirecte, seu ad effectum.—An in hoc casu legitimi impedimenti recurrenti ad Superiorem, etiam simplex Confessarius possit absolvere á reservatis, tum papalibus tum episcopalibus. (Q. 1.)—Quando censetur adesse periculum in mora ut inferior sic absolvere possit. (Ibi.)—An Regulares habentes facultatem absolvendi á casibus papalibus, possint eo ipso absolvere á casibus *proprie episcopalibus*. (P. III.) *Circa articulum mortis*.—An absolutus á reservatis in articulo mortis ab inferiore, teneatur se sistere Superiori, si convalescat. “Certo tenetur quoad censuras Papae reservatas *speciali modo*. (Q. 2.)—An inferior possit absolvere moribundum á reservatis, praesente Superiore aut alio facultatem habente. Q. 6.)—An requiratur venia Episcopi ad absolvendum moribundum á casibus papalibus, si facile peti possit. (Q. 7.)

Quaesita alia. An reservatione ligatus in necessitate communicandi aut celebrandi, teneatur confiteri simplici Confessario, alio deficiente. (Q. 3.)—Quid si advertat se non habere contritionem.—Quid si haberet mortalia tum reservata, tum non reservata.—An in hoc casu teneatur confiteri peccata etiam reservata. (Q. 4.)—An valide absolvatur, qui bona fide accusat reservatum simplici Confessario, aut illius sine culpa obliviscitur.—An tollatur reservatio per confessionem nullam aut sacrilegam. (Q. 9.) “Alius est finis confessionis, alius reservationis. Finis confessionis est, ut remittatur peccatum; finis autem principalis et directus reservationis, ut peccata deferantur Superiori, utque ipse super ea ferat iudicium, praebendo monita salutaria ac poenitentiam imponendo: unde semper ac subditus suum peccatum subjicit iudicio Superioris, aut alterius habentis facultatem, jam obtinetur finis reservationis.” (S. Alphonsus.)—An tollatur reservatio, si poenitens, confitendo apud Superiorem, casus reservatos obliviscatur. (Q. 10.)—An qui confessus est inferiori peccatum dubie reservatum, omnino liberetur á reservatione, etiamsi postea illud agnoscat ut certum.—An possit Superior absolvere poenitentem á reservatis, et eum remittere ad inferiorem pro absoluteione non reservatorum. (Q. 8.)—*Circa peregrinos*. An Episcopus absolvere possit peregrinos á censuris episcopalibus, quas in propria ipsorum diocesi incurrerunt. (Q. 12.)—An absolvi possint á peccatis reservatis peregrini, qui in propria dioecesi peccaverint, et alio ad confidendum perrexerint.—Quando censetur fraudem intercedere.

LECTIO 19. F.

APPENDIX I. *De absoluteptione proprii complicitis in peccato turpi*
 “De hoc gravissimo argumento extant duae Constitutiones Bene-
 dicti. XIV, quarum prima incipit *Sacramentum Poenitentiae* 1. Jun.
 1741. altera *Apostolici muneris*, 8. Febr. 1745. In Constitutione
Sacramentum Poenitentiae S. Pontifex haec decernit: “Omnibus et
 “singulis Sacerdotibus..... auctoritate apostolica et nostrae potes-
 “tatis plenitudine interdiciamus et prohibemus, ne aliquis eorum
 “extra casum extremae necessitatis, nimirum, in ipsius mortis ar-
 “ticulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessa-
 “rii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae
 “complicitis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum decalogi
 “praeceptum commisso excipere audeat; sublata propterea illi
 “ipso jure quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque
 “personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut
 “absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit tam-
 “quam impertita á Sacerdote, qui jurisdictione ac facultate ad va-
 “lide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per praesen-
 “tes has nostras litteras adimere intendimus. Et nihilominus, si
 “quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque ex-
 “communicationis poenam, à qua absolvendi potestatem Nobis
 “solis, Nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto
 “incurrat. Declarantes et decernentes, quod nec etiam vi
 “cujuscumque Jubilaei, aut etiam Bullae, quae appellatur Crucia-
 “tae sanctae, aut alterius cujuslibet indulti, confessionem dicti com-
 “plicitis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem
 “absolutionem elargiri.”

In Constitutione *Apostolici muneris* circa Sacerdotem absolven-
 tem complicem in articulo mortis haec declarat: “Quod si idem
 “Sacerdos, aut quovis modo sese, nulla gravi necessitate compulsus,
 “ingesserit; aut ubi infamiae vel scandali periculum timetur,
 “si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id
 “periculum avertendum congrua media adhibere de indus-
 “tria neglexerit, quamvis hujusmodi absolutio valida futura
 “sit, non enim intendimus pro formidando mortis articulo eidem
 “Sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre,
 “ne hac ipsa occasione aliquis pereat; nihilominus Sacerdos ipse
 “violatae ausu hujusmodi temerario legis poenas nequaquam effu-
 “giet, ac propterea latam in dicta Constitutione majorem excom-
 “municationem Nobis et huic Sanctae Sedi reservatam incurret,
 “prout illam eo ipso incurrere declaramus, volumus atque statuimus.”

Denique majorem hanc excommunicationem Pius IX. in Consti-
 tutione *Apostolicae Sedis* inter reservatas *speciali modo* adnumerat

his verbis: "Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in
"mortis articulo, si alius Sacerdos, licet non approbatus ad confe-
"ssiones, sine gravi aliqua exorbitata infamia et scandalo, possit
"excipere morientis confessionem,,.

His praemissis, complex in genere intelligitur, qui est socius cum alio in crimine: unde complex Confessarii in peccato turpi dicitur ille, cum quo Confessarius turpiter peccavit. Ad complicitatem formalem, de qua agitur, requiritur peccatum ex utraque parte; et quidem utrinque grave, utrinque externum. et utrinque certum.—*Principia*. I. Confessarius complex caret jurisdictione..... II. Qui absolvit complicem, incurrit excommunicationem *speciali modo* reservatam. III. Quoad mortis articulum Confessarius complex gaudet jurisdictione; atque ideo absolutio, *per se loquendo*, semper est valida. IV. In eodem mortis articulo Confessarius complex licite etiam absolvit, quoties non possit advocari alius Sacerdos, licet non approbatus, qui sine gravi infamia vel scandalo valeat excipere morientis confessionem: si vero, nulla gravi necessitate compulsus, ipse se ingesserit, aut *de industria* neglexerit media adhibere ad periculum infamiae vel scandali avertendum, graviter peccat, et excommunicationem incurrit. (Q. 3. et 4.) V. Post editam Constitutionem *Apostolicae Sedis* certum est Episcopos absolvere non posse ab hac excommunicatione, licet casus sit occultus. Imo ex Decreto S. U. I. 4. April. 1871. in qualibet, utcumque amplissima, concessione absolvendi á reservatis *speciali etiam modo* R. Pontifici semper excipienda est absolutio complicis in peccato turpi. (Q. 7.)—*Quaesita*. Quid veniat nomine peccati turpis. (Q. 1.)—An etiam colloquium inhonestum.—An nomine complicis veniant non solum mulieres, sed etiam viri. "Imo illud non interest, utrum Confessarius cum eo peccaverit adhuc laicus,,.—An Sacerdos possit absolvere complicem in morte, si hic alteri confiteri recuset.—An Sacerdos absolvere possit complicem ab aliis peccatis sibi extraneis, postquam ille semel ab alio rite fuit absolutus.—An á peccato complicitatis alias jam confesso et remisso. (Nota.)—Quid pro praxi.

LECTIO 20. F.

APPENDIX II. *De sollicitante in confessione*. Benedictus XIV. in laudata Const. *Sacramentum Poenitentiae* simul cum peccato complicitatis horrendum crimen sollicitationis damnavit, quod etiam jam fecerant Pius IV. et Gregorius XV. Praemittuntur verba laudatae Constitutionis. "Approbamus et confirmamus, atque etiam, "quatenus opus sit, denuo committimus et mandamus omnibus "haereticæ pravitatis Inquisitoribus, ut inquirent, et procedant contra omnes et singulos Sacerdotes, tam saeculares quam regulares,

“quomodolibet exemptos, ac etiam Sedi Apostolicae immediate subjec-
 “tos, qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu
 “sacramentalis confessionis, vel ante vel immediate post confessio-
 “nem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam extra
 “occasionem confessionis in confessionali sive in alio loco ad con-
 “fessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi
 “ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provo-
 “care, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scrip-
 “turam aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos
 “et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint. . . .
 “Meminerint praeterea omnes et singulos Sacerdotes ad confessiones
 “audiendas constitutos, teneri se, ac obligari suos poenitentes, quos
 “noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere de
 “obligatione denunciandi personam, quae sollicitationem commiserit;
 “etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide
 “impertiendam careat; aut sollicitatio inter Confessarium et poeni-
 “tentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive
 “consensum minime praestiterit; vel longum tempus post ipsam
 “sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio á Confessario non pro
 “se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. . . . Et quoniam impro-
 “bi quidam homines reperiuntur, qui innoxios Sacerdotes apud
 “ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant, quaecumque
 “persona, quae execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel
 “per se ipsam innocentes Confessarios impie calumniando, vel
 “sceleste procurando, ut id ab aliis fiat, spe absolutionis obtinendae,
 “quam Nobis et Successoribus praedictis reservamus, perpetuo
 “careat., Insuper extant de hac re sexdecim S. U. Inquisitionis de-
 creta, quae die 11. Febr. prodierunt, et á Benedicto XIV. apostolica
 auctoritate confirmata fuerunt.

Quibus praemissis, *sollicitatio* hic intelligitur provocatio ad turpia facta á Sacerdote, tamquam Confessario. *Sollicitans* autem dicitur omnis et solus Sacerdos, qui tamquam Confessarius ad inhonesta vel turpia provocat, sive in ipsa confessione sive extra.

Principia.

I. De jure Ecclesiae communi Sacerdotes sollicitantes Superioribus ecclesiasticis denunciandi sunt. *Quaesita.* An comprehendatur hac lege simplex Sacerdos, qui jurisdictione ad valide absolvendum careat.—An interpres.—An mandans.—An laici et clerici nondum Sacerdotes.—An Episcopi.—An qui sollicitat in aliis Sacramentis, non vero in confessione. (Nota.)

II. Sollicitatio datur, quoties fit in ipsa confessione vel extra illam. *In ipsa confessione*, nempe, in actu ipso confessionis, vel immediate ante, vel immediate post. *Extra illam*, nempe, confessionis occasione, vel praetextu, vel simulatione. Neque interest quomodo provocato fiat, an verbis, an signis, tactibus, nutibus,

vel per scripturam aut tunc aut post legendam: imo etiamsi tantum inhonestos sermones vel tractatus cum poenitente habuerit. *Quaesita*. Quandonam sollicitatio fiat *in actu sacramentalis confessionis*. “Quando Confessarius, incepta jam confessione, sollicitat, vel apponit media, quibus postea sollicitet; uti v. g. si in confessione interroget mulieri ubi habitet, an sola moretur, et postea illuc se conferat et illam sollicitet.”—Quandonam *immediate ante*, vel *immediate post*. “Quando nullum intervallum intercedat inter confessionem et sollicitationem, aut vicissim: unde qui mulierem ante pedes ad confitendum genuflexam sollicitet, dicitur sollicitare *immediate ante*; et qui, confessione finita, et alio negotio non interposito, poenitentem ducit in locum, ubi eum sollicitet, dicitur sollicitare *immediate post*.—Quid si sollicitatio accidat, transacto integro die post confessionem.—Quando dicitur sollicitatio *occasione confessionis*.—Quando *praetextu confessionis*.—Quando *cum simulatione confessionis*.—Quare additur in confessionali vel in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo. (Nota.)—An detur sollicitatio, si Confessarius in confessione postulavit á muliere ubi habitet, et postea eam domi sollicitaverit. (Q. 6.)—An si rogatus á muliere, ut ejus confessionem audiat, eam sollicitat. (Q. 7.)—An si, cognita in confessione mulieris fragilitate, postea eam domi sollicitat. (Q. 8. Nota.)—Quandonam censetur satis constare ansam sollicitandi re ipsa ex confessione arreptam fuisse. (Nota.)—An sollicitatio detur, si Confessarius mulierem de pulchritudine laudet. (Q. 9.)—An si det dona mulieri. (Nota.)—An si ipse non sollicitavit, attamen poenitentis sollicitationi consenserit. (Q. 2. Nota.)—Quid si consentiat metu inductus. (Ibi.)

III. Obligantur ad denuntiationem faciendam: 1^o poenitentes, qui fuerint sollicitati: 2^o alii omnes, qui id certo sciunt, nisi sub secreto consilii hoc noverint, etiamsi crimen juridice probare nequeant. *Quaesita*. An qui tenentur denuntiare, absolvi possint antequam obligationi satisfaciant. (P. II. Nota.)—An deneganda sit absolutio poenitenti, qui denuntiare recusat. (Q. 5.)—Quid si mulier sit nobilis et verecunda, nec potest induci ad deponendum. (Ibi.)—An Constitutiones contra sollicitantes, ac proinde obligatio denuntiandi, omnes fideles, tam graecos quam latinos comprehendat. (Nota.)—Quid si hi casus occurrerit in partibus haereticorum et schismaticorum. (Nota.)—An excusetur poenitens á facienda denuntiatione ob timorem ne incurrat indignationem et increpationem denuntiati. (Q. 4.)—Quid si rationabiliter timeat grave sibi damnum in vita, fama, aut temporalibus bonis. (Nota.)—An urgeat obligatio denuntiationis, si reus sit emendatus. (Q. 3.)—An si á multo tempore sollicitatio contigerit.—An poenitens teneatur ad denuntiandum, si ipse consenserit in sollicitationem. (Q. 1.)—An teneatur consensum suum manifestare. (Nota.)

IV. Denuntiatio facienda est intra mensem á certa notitia temporis utilis praescripti ad denuntiandum. Poenitens autem, qui fuerit sollicitatus, (non vero alii, ad quorum notitiam sollicitatio pervenerit,) si denuntiationem statuto tempore non exequatur, incurrit excommunicationem hodie nemini reservatam. (Nota.)

V. Denuntiationis onus est *personale*, et fieri debet *judicialiter*; nempe, viva voce coram Ordinario loci; et quidem praestito juramento, et cum expressione et subscriptione proprii nominis. Quod si voce fieri non possit, facienda est per epistolam proprio nomine et cognomine subscriptam, aut saltem per internuncium. (Q. 12. 1. 3.)—*Quaesita*. Cui facienda sit denuntiatio, si Confessarius sollicitans sit alienae dioecesis. (2.)—An confessarius teneatur suscipere onus denuntiationis ad Ordinarium transmittendae. (Ibi. 4.)—Quid si persona sollicitata nullo modo induci possit ad denuntiationem tali forma peragendam. (5.) “In casu vericundiae magnae et panici timoris S. Poenitentia poenitentem dispensare solet *pro gratia* á declinando proprium nomen aliisque formalitatibus, sed sollicitatoris nomen vult Confessario aperiendum cum facultate illud Episcopo indicandi: et ita provisum fuit anno 1860.”—Quid si degens in longinquis regionibus, nequeat Ordinarium adire sine gravi incommodo. (7.)—An valida et sufficiens sit denuntiatio facta per litteras anonymas. (6. Nota.)—An facile fides sit adhibenda mulieribus Sacerdotem de sollicitatione accusantibus. (Q. 10.)—Quomodo se gerere debeant Superiores, cognita certo criminis gravitate. (Ibi.)

VI. Quenam sint poenae contra sollicitantes. (Q. 11. Nota.) An tum inhabilitas ad celebrationem Missae, tum reliquae poenae ipso facto incurrantur.—Quid si Sacerdos sollicitans complicem absolvat.

VII. Postremo circa crimen falsae accusationis de sollicitatione haec tria sunt notanda: 1.^o Hujusmodi crimen reservatum esse Sedi Apostolicae; sed sine censura: 2.^o Hanc reservationem incurrere etiam mandantes, consulentes, et omnes procurantes. 3.^o Ex decreto S. U. Inquisitionis 4. April. 1871. in qualibet, utcumque amplissima, concessione absolvendi á reservatis *speciali etiam modo* semper excipiendam esse absolutionem falsi calumniatoris.

LECTIO 21. F.

Art. II. De officio Ministri. 1.^o In confessione: 2.^o post confessionem. §. I. *De officio Ministri in confessione.* 1.^o Quoad omnes poenitentes in genere: 2.^o quoad aliquos in particulari. *Punct. I. Quoad omnes poenitentes in genere.* Minister Poenitentiae, dum confessiones excipit, tum patris et medici, tum doctoris et judicis personam gerit. Hinc ipsius munia seu officia erga omnes poenitentes. Seorsim.

n. 1.^o *De officio Patris.* An Confessarius sit pater spiritualis.— Quodnam est ipsius munus, qua pater.— Quomodo charitatem exercere debeat in principio confessionis.— Quomodo in decursu confessionis.— Quomodo in fine confessionis.

n. 2.^o *De officio medici.* An Confessarius sit medicus animarum. Ad quid tenetur uti medicus spiritualis.— Quomodo causam morbi cognoscere debeat.— Quomodo morbum sanare.— Quomodo relapsus praecavere.

n. 3.^o *De officio Doctoris.* “Confessarius est etiam Doctor et magister, cum non solum debeat Sacramentum rite administrare, sed etiam poenitentes instruere et dirigere. Porro nemo potest docere, quae nescit: unde ex hoc capite duplex est Confessarii munus, nempe, erga seipsum, et erga poenitentes. *Erga seipsum*, discere seu scientiam acquirere; *erga poenitentes*, illos dirigere et docere. De singulis. (a) *De obligatione scientiam acquirendi. Principia I.* Confessarius tenetur sub gravi *de jure naturali et divino* scire ea omnia, quae ad munus suum rite obeundum requiruntur; neque eum per se excusat approbatio Episcopi, neque experientia in audiendis confessionibus. II. Graviter peccant tum Confessarius, qui debitam scientiam sibi deesse noverit, etiamsi ex sola charitate et obedientia confessiones excipiat; tum Superior, qui ignaro Confessario veniam dat confessiones excipiendi; tum denique ipse poenitens, qui de industria ineptum Confessarium eligit. III. Confessarius non tenetur adeo perfectam scientiam acquirere, ut possit semper statim et per seipsum omnes occurrentes dubitationes solvere; neque etiam tenetur de singulis peccatis accusatis discernere, an sint mortalia, necne. IV. Confessarius tamen tenetur acquirere notitiam aliquam universae Theologiae Moralis, cum sine hac notitia neque Sacramentum rite administrare possit, neque illa cognoscere, de quibus judicare debet. V. Quilibet igitur Confessarius Moralis scientiae studio incumbere debet; et quidem frequenter et assidue, cum hoc studium sit summopere difficile.

(b. *De obligatione docendi poenitentes. Principia. I.* Confessarius, *qua Minister est Sacramenti*, ideoque ex virtute Religionis, tenetur docere poenitentes, ubi advertat quempiam aliquid ignorare ex his, quae pertinent ad Sacramentum hic et nunc rite suscipiendum; nempe, quae scitu necessaria sunt necessitate medii ad salutem, et quae spectant ad dolorem et propositum efformandum, adque ideo ad relapsus praecavendos. II. Confessarius, *qua proximus*, ideoque ex virtute charitatis, (nisi forte fuerit parochus), tenetur docere poenitentes, si aliquid ignorent, quod necessarium est ad christiane vivendum, cujusmodi sunt obligationes circa fidem et mores. III. Quoties instructio, licet necessaria, sit laboriosa et diuturna, Confessarius *per se et stricte* non tenetur poenitentes *instruere* de omnibus, quae ipsi scire debent, et aliunde discere

possunt; sed sufficit ut illos admoneat de ignorantia, et de obligatione illam depellendi. *Quaesita*. An semper sit monendus poenitens laborans ignorantia circa aliquam obligationem.—Quid si ignorantia fuerit *invincibilis*. “Dicitur *generatim loquendo*; quia etiam sine spe fructus facienda est monitio, quoties, ea omissa, graviora nocumenta, sive ipsi poenitenti, sive tertio, sive communitati imminere praevidentur., (R. 4.^o et Q. 4.^o et Nota.)—Quando igitur poenitens sit monendus.—An monitio facienda sit in dubio utrum profutura sit vel obfutura,—An conjux monendus sit de invaliditate matrimonii jam contracti.—An Confessarius possit obligare conjugem ignarum impedimenti ad debitum reddendum.—An poenitens contracturus matrimonium, de impedimento ignorato monendus sit.

LECTIO 22. F.

n. 4. *De officio Judicis*. Confessarius praeter officium patris, medici, et doctoris, personam judicis etiam gerit: non enim ipse solvere aut ligare potest pro suo lubitu, sed sicut á Deo sibi praescriptum est, videlicet, judicando de peccatis et de poenitentium dispositionibus. Sane judicis munus est duplex: instruere causam, et sententiam ferre. De singulis. (a) *De obligatione instruendi causam*. “Confessarius, qua judex, cavere debet, ne iudicio sacramentali integritas, neque poenitenti dolor ac propositum desit; et hoc dicitur *causam instruere*. *Principia*. I. Ad quid tenetur Confessarius pro integritate iudicii procuranda, et quid inquirere debeat circa dispositiones poenitentis. II. An hujusmodi inquisitio et interrogatio debeat esse extraordinaria. III. An cum omnibus poenitentibus indiscriminatim. IV. Qualis debeat esse interrogatio.—Quid Confessarius cavere debeat, ut interrogatio sit *moderata*.—Quid, ut sit *discreta*.—Quae regulae servari debent in interrogando de materia luxuriae.—Quid requiritur, ut interrogatio sit *opportuna*. *Quaesita*.—Quid agere debeat Confessarius in dubio de sinceritate poenitentis.—Quid si cognoscat certo peccatum aliquod à poenitente reticeri, aut negari.—Quomodo in particulari cum rudibus agere debeat.—An Confessarius teneatur excitare dolorem in poenitente. (625. Q. 4.) (b) *De sententia ferenda*. Confessarius intelligitur sententiam ferre quando poenitentis peccata remittit aut retinet. *Principia*. I. Quando absolutio concedi debeat. II. An aliquando absolutio differri possit ad breve tempus poenitenti rite disposito. III. Quando absolutio sit deneganda. IV. Quid de poenitentibus dubie dispositis. (Vide. Lec. 3.^a §. II.) *Quaesita*. *Circa I*. An requiratur certitudo de dispositione poenitentis, ut absolvi possit et debeat. (Q. 2.)—Quaenam sint signa ordinaria sufficientis dispositionis.—Quaenam sint signa extraordinaria. (629.) *Circa II*. An saepe expediat differre absolutio-

nem poenitenti sufficienter disposito. (Q. 1.)—An expediat, ut dilatio fiat ad longum tempus. (Ibi.) *Circa III.* Quibusnam praecipue deneganda sit absolutio. (Q. 5.)—An absolvi possit debitor, antequam restituat.—An possit, imo et debeat absolvi poenitens, qui vult sequi opinionem sententiae Confessarii oppositam.

LECTIO 23. F.

Punct. II. De officio Ministri quoad aliquos poenitentes in particulari. 1.^o Quoad eos, qui versantur in occasione peccati: 2.^o quoad consuetudinarios et recidivos: 3.^o quoad poenitentes pios et timoratos. n. 1.^o *Quoad eos, qui versantur in occasione peccati.* Occasio peccati definitur circumstantia *externa*, v. g. persona, officium. In quo differat á periculo peccandi.—Occasio multiplex; 1.^o *Remota*, si periculum sit tenuiter probabile; et *proxima*, si sit moraliter certum vel graviter probabile. 2.^o Occasio proxima, alia *absoluta*, quae ex natura sua et quoad omnes, v. g. familiaritas cum persona, cum qua quis luxuriose peccavit; alia *relativa*, quae per accidens et respectu talis subjecti, v. g. officium medici vel confessarii. 3.^o Utraque dicitur *in esse*, si penes se habeat; et *in non esse*, si illam quaerere debeat. 4.^o Utraque dicitur *voluntaria*, si facile dimitti possit; et *necessaria*, si nullatenus, (*phisice*), vel sine gravi detrimento, (*moraliter*). Ex jure naturali et divino quilibet tenetur sub gravi vitare periculum proximum, id est, certum vel graviter probabile peccandi mortaliter, non vero periculum remotum seu tenuiter probabile. Hinc: *Principia. Quoad occasionem remotam.* I. Non est deneganda absolutio poenitenti in occasione remota constituto. Ratio, quia nulla datur obligatio illam vitandi. *Quoad occasionem proximam voluntariam.* I. Nunquam est absolvendus poenitens, qui recusat. Ratio, quia datur obligatio gravis illam vitandi. II. Si poenitens promittit se illam derelicturum, attendendum est, utrum jam alias hoc ipsum promisserit, et non adimplevit, vel an prima vice promittat. Si semel aut iterum admonitus occasionem non deseruerit, generaliter loquendo, non est absolvendus; quia non censetur sincere promittere. Si vero promittat prima vice, *per se* loquendo absolvi potest; attamen si agatur de occasione *in esse*, quae statim dimitti possit, expedit ut absolutio differatur, donec de facto removeatur occasio. III. Poenitens hujusmodi, sive prima sive altera vice promittat, praebens extraordinaria signa doloris, potest absolvi *absolute loquendo*; verum ordinarie non expedit si occasio sit in materia luxuriae, et *in esse*, nisi forte accedat nota infamae in omittenda Communionem, vel poenitens ad eundem Confessarium redire non valeat, aut non nisi post longum tempus. Ratio est, quia remotio occasionis hujusmodi magnum animi conatum requirit; unde

valde expedit inconstantiam humanam praecavere spe absolutionis obtinendae. *Quoad occasionem proximam necessariam.* I. Occasio necessaria dici nequit, nisi aut nullo modo possit removeri, aut non sine damno *certe gravi* in bonis vitae, famae aut fortunae II. Nunquam est absolvendus poenitens, qui recusat adhibere media necessaria ad periculum removendum. Ratio, quia licet non teneatur removeere occasionem, utpote necessariam, tenetur removeere periculum. III. Si poenitens promittat se remedia adhibiturum, expendendum est, utrum jam alias promisserit, vel an prima vice promittat. Si promittat prima vice, absolvendus est. Etiam est absolvendus, si jam alias admonitus, ea, quae Confessarius sibi mandaverat, praestiterit, et *aliquatenus* emendatus reddat. Si vero nullum remedium adhibuerit, neque ullam afferat emendationem, *per se* non est absolvendus, nisi signa extraordinaria doloris praebeat. IV. Quaestio est de eo, qui remediis adhibitis, eodem modo semper relabatur: nempe, an deneganda sit ei absolutio, donec occasionem deserat, etiam cum gravi detrimento suae famae vel fortunae, imo et vitae. Exemplum habes in medico vel parcho, qui sive medendo, sive confessiones excipiendo, in pravis desideriis consentiunt: item in uxore, quae peccat cum fratre mariti sui in eadem domo commorante. Hi omnes occasionem removeere non possunt sine gravi jactura, videlicet, officium dimittendo, vel crimen revelando, vel saltem suspicionem ingerendo. Quaestio igitur est, an Confessarius possit et debeat imponere hujusmodi poenitentibus, ut occasionem deserant cum quacumque jactura. Alii affirmant, juxta illud Evangelii, *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice à te.* Auctor cum aliis negat, et sic probat: “Confessarius, juxta regulam à P. Segneri traditam, praeferre id debet, quod poenitens à peccandi periculo magis removet, neque unquam eligere id poterit, in quo poenitens certius est peccaturus. Atqui improbabilius speratur fuga occasionis cum tanto discrimine, quam usus opportunus mediorum ad minuendum periculum. Ergo. . . . (Q. 2. Nota.)

LECTIO 24. F.

n. 2. *De officio Ministri quoad consuetudinarios et recidivos.* *Consuetudinarius* seu *habituatus* dicitur, qui consuetudinem vel habitum peccandi contraxit, de cujus emendatione non fuit adhuc à Confessario admonitus. *Recidivus* vero vocatur ipse consuetudinarius, qui semel aut iterum admonitus in confessione, sine ulla aut fere ulla emendatione relabatur in eadem peccata. Unde recidivus *stricte* non intelligitur: 1.^o qui prolaxus est in alia peccata: 2.^o qui in eadem, sed antea à Confessario non admonitus: 3.^o qui admonitus, verum aliquatenus emendatus reddit. *Principia. Quoad consuetudi-*

narios. I. An simplex consuetudinarius absolvi possit. II. Quid si media adhibere recuset. III. Recidivus, qui media adhibuit, et aliquatenus se emendavit, uti simplex consuetudinarius habendus est, ideoque adsolvendus. *Quoad recidivos*. I. Recidivus, stricte talis, praebens *extraordinaria* signa doloris, absolvi potest, et ordinarie loquendo, debet. II. Recidivus, stricte talis, si *aliquem conatum adhibuit, et aliqua implevit media* á Confessario proposita, etiam sola contritionis signa ordinaria praebens, absolvi potest, et generatim debet, *quoties absolutio non potest facile differri*. III. Quaestio est de eo, qui redit cum eodem pravo habitu, *nullo adhibito conatu, nulloque impleto medio*, neque signa praebet extraordinaria doloris, attamen serio promittit emendationem. Alii cum S. Alphonso tenent hunc non esse absolvendum, quia frequens ille relapsus signum praebet, quod sua poenitentia non sit vera. Alii é contra tenent absolvi posse toties quoties, etsi iudicetur relapsurum. (Nota.) Alii demum sentiunt hunc posse absolvi ter, vel quater, imo et quinques et sexies; quia utpote majori infirmitate laborans, majori eget missericordia. At ulterius ei indulgere, illum perdere est, juxta illud Card. Bellarmini: "Non esset tanta facilitas peccandi, nisi esset tanta facilitas absolvendi.", IV. Recidivus dubie dispositus juxta regulas supra traditas est iudicandus. (Vide Lect. 3. §. II.) *Quaesita*. Quando censeatur contracta consuetudo.—An absolutio negari possit consuetudinario vel recidivo, qui recusat confiteri pluries in anno.—Quid agendum cum his, qui confitentur immediate ante matrimonium, et hucusque pravae consuetudini addicti fuere.

n. 3. *Quoad poenitentes pios*. An Confessarius, maxime Parochus, spirituali profectui suorum poenitentium studere debeat.—Quomodo Confessarius se gerere debeat in dirigendis poenitentibus piis. 1.^o Quoad directionem in genere. (1.^a 2.^a 3.^a) 2.^o Quoad probationes. (4.) 3.^o Quoad corporales poenalitates. (5.) 4.^o Quoad visiones et alias res extraordinarias. (Ibi.) 5.^o Quoad frequentiam Communionis. (6.)

LECTIO. 25. F.

§. II. *De officio Ministri post confessionem*. Duplex est officium Ministri post confessionem; nempe, defectus in confessione commissos corrigere, et sigillum servare. Hoc *per se*, atque ideo semper: illud *per accidens*, videlicet, si forte occurrant. Seorsim. *Punct. I. De obligatione corrigendi defectus in confessione commissos*. *Notandum*. 1.^o Defectus in confessione commissi versari possunt, vel circa Sacramenti valorem, vel circa ipsius accidentia. Circa *valorem*, si invalida sit absolutio, uti si citra facultates absolvat á reservatis, vel formam absolutionis corrumpat, aut prorsus omittat, vel non sufficien-

ter contritum absolvat. Circa *accidentia*, si Sacramentum sit validum, licet in aliquo deficiat, quod tripliciter potest contingere: 1.^o si defectus sit *circa integritatem Sacramenti*, quia satisfactionem sacramentalem poenitenti injungere noluit, aut omissit: 2.^o si defectus sit *circa judicii seu confessionis integritatem*, uti si poenitentem non interrogavit, aut volentem confiteri prohibuit: 3.^o si defectus sit *circa monitionem poenitentis*, uti si illum non admonuit de aliqua obligatione, vel positive decepit, v. g. ut non jejunet, vel non restituat, vel contrahat matrimonium invalidum. *Notandum*. 2.^o Confessarius relate ad hos defectus potest se habere culpabiliter et inculpabiliter; imo uti causa positiva vel negativa. *Culpabiliter*, quando defectus procedit ex malitia, vel ignorantia vincibili, aut negligentia sive gravi sive levi. *Inculpabiliter*, quando procedit ex errore invincibili vel inadvertentia involuntaria. *Positive*, si per actionem aliquam, uti errores docendo. *Negative*, si per aliquam omissionem, uti non monendo, non interrogando. *Notandum* 3.^o Defectus, quicumque illi sint, semper sunt á Confessario corrigendi *intra* confessionem, si poenitens ad se reddierit; *extra* confessionem vero corrigendi sunt, salvo sacramentali sigillo, atque ideo petita et obtenta venia. Quandonam Confessarius teneatur illos corrigere *extra* confessionem, patebit ex dicendis.

Principia. I. Error circa *valorem Sacramenti*, cum gravi culpa Confessarii commissus, et cum gravi damno poenitentis, id est, si eum reliquit in peccato mortali, reparandus est ex justitia etiam cum gravi incommodo, nisi forte poenitens jam iterum confessus fuerit, aut brevi sit confessurus; nam in hoc casu peccata non remissa indirecte remittuntur. Si autem error sit inculpabilis vel leviter culpabilis, Confessarius tenetur quidem ex justitia, sed cum minori incommodo, dummodo tamen poenitens non versetur in periculo damnationis aeternae, v. g. si confessio facta fuerit in articulo mortis. II. Error *circa Sacramenti integritatem*, id est, circa sacramentalem satisfactionem imponendam, non est reparandus extra confessionem, si Confessarius in hoc *negative* tantum, et si culpabiliter se habuerit. At reparandus est, si *positive* commissus fuerit; et quidem cum gravi incommodo, si culpa fuerit gravis, si vero levis, aut etiam nulla, cum incommodo minori. III. Error *circa integritatem judicii seu confessionis* itidem extra confessionem non est reparandus, nisi *positive* commissus fuerit á Confessario, sive culpabiliter sive inculpabiliter, sicut dictum est in praecedenti. IV. Error *circa monitionem poenitentis*, sive sit *negativus*, eum non monendo, sive *positivus*, illum in errorem inducendo seu decipiendo cum ipsius damno *spirituali*, semper corrigendus est extra confessionem cum majori vel minori incommodo, prout error fuit voluntarius vel involuntarius, et pro majori vel minore quantitate damni poenitentis: sic v. g. Confessarius tenebitur

cum graviori incommodo monere poenitentem, si ita illum deceperit, ut maneat in occasione proxima, vel non tollat scandalum, vel contrahat invalidum matrimonium, et cum leviori, si ei erronee dixerit se non teneri ad jejunium, ad audiendam Missam et hujusmodi. V. Quaestio est de obligatione reparandi *damnum temporale* ipsi poenitenti vel tertio ex errore Confessarii secutum, quod evenit praesertim quando agitur de restitutione facienda vel non facienda. Itaque si Confessarius ex culpa gravi falso *persuasit* poenitenti restitutionem á se faciendam vel non faciendam, tenetur ad damnum reparandum, quasi *consiliator*; si vero tantum eum *non admonuit* de obligatione, licet culpabiliter, tenetur utique illum admonere postea, si possit absque gravi incommodo; at *probabilius* ad damnum non tenetur (Q. 1.^o 2.^o 3.^o) *Quaeres*. An Confessarius sine poenitentis licentia possit extra confessionem cum eo loqui de defectu commisso in confessione. (Q. 4.^o)

LECTIO 26. F.

Punct. II. De sigillo confessionis. Sigillum sacramentale eo spectat, ne confessio reddatur confitentibus odiosa. Definitur: Strictissima obligatio servandi secretum circa ea, quae ex confessione sacramentali cognita sunt. Agendum: 1.^o de obligatione: 2.^o de subjecto: 3.^o de objecto: 4.^o de violatione sigilli.

n. 1. *De obligatione sigilli. Principia.* I. Datur obligatio servandi sigillum confessionis ex jure tum *naturali*, tum *divino positivo*, tum *ecclesiastico*. II. Strictissima obligatio sigilli semper et in omni casu urget; et ideo: 1.^o praevalet omni obligationi seu legi ex adverso occurrenti: 2.^o nullam omnino materiae parvitatem admittit: 3.^o nullam omnino exceptionem patitur: 4.^o obligat erga omnes; erga illos quoque, qui aliunde peccata confessa non ignorant; imo erga ipsum poenitentem: 5.^o obligat perpetuo, etiam post poenitentis mortem. Ratio est, quia in hoc Sacramento, quod est secunda tabula post naufragium, tota aeterna salus populi christiani posita est III. Obligatio sigilli oritur ex omni et sola confessione sacramentali. *Quaesita.* *Circa. II.* An aliquando dari possit parvitas materiae in revelatione sigilli.—An liceat uti opinione probabili in sigilli materia.—Quid Confessarius respondere debeat interroganti de auditis in confessione, aut de impertita absolute. *Circa. III.* An confessio, quae *scienter* fit laico vel Sacerdoti jurisdictione carenti, inducat obligationem sigilli. (R. 1.)—An quae fit animo Confessarium decipiendi vel irridendi. (2.)—An quae fit sine voluntate obtinendi absolute. (3.)

n. 2. *De subjecto sigilli. Principia.* I. Quinam tenentur *primario* ad sigillum confessionis. II. Quinam tenentur *secundario.* *Quaesita.*

An poenitens quoque obligetur sigillo respectu Confessarii.—An Confessarius possit loqui cum poenitente de ipsius confessione.—An teneatur ad sigillum, qui legit chartam, in qua poenitens confessionem scripsit.—An teneatur ad sigillum sacramentale doctor consultus ab ipso poenitente.

n. 3. *De objecto sigilli.* “Sigillum ideo inductum est, ne ex metu revelationis fideles á Sacramento retrahantur. Hinc: *Principia.* I. Objectum primum sigilli sunt *peccata omnia*, sive á poenitente *confessa*; sive ab ipso ad individuum peccatorum explicationem *declarata*, uti peccatum complicitis; sive demum á Confessario *cognita* vel *intellecta* ex confessione. II. Objectum secundarium sigilli est *quidquid* in confessione *manifestatum est*, vel ex ea *cognitum*, et cujus revelatio cederet in odium Sacramenti, uti defectus poenitentis. III. Etiam sunt objectum sigilli ipsius confessionis seu Sacramenti partes, uti satisfactio seu poenitentia imposita, denegatio absolutionis, et aliquando etiam dispositiones poenitentis, uti si quis dicat illum confessum fuisse *cum magno* animi dolore, aut nondum explevisse confessionem. *Quaesita.* An sint objectum sigilli circumstantiae peccatorum, etiam post absolutionem declaratae.—An virtutes et scrupuli.—An defectus naturales.—Quid agere debeat Confessarius detegens poenitentem esse surdum. (Q. 9.)—An peccata commissa in ipsa confessione.—An factum confessionis. (Q. 4.)—An factum absolutionis. (Q. 5.)

n. 4. *De violatione sigilli.* Sigillum violare ille dicitur, qui poenitentem prodit quocumque modo. Dupliciter violari potest sigillum: *directe* et *indirecte.* *Principia.* I. Sigillum violatur *directe*, si revelatis his, quae sunt sigilli objectum, expresse indicatur poenitens, aut ex his probabiliter innotescere possit. II. Sigillum violatur *indirecte*, cum quis nihil quidem revelat; sed ex his, quae dicit vel facit, aut nec dicit nec facit, probabilem alicujus poenitentis suspicionem ingerit. III. Nulla est sigilli violatio, si quis narret peccatum in confessione auditum, ita ut nullo indicio poenitens revelari, nec de eo probabiliter suspicari possit. IV. Nihilominus, etiam seclusa quavis revelatione sive directa sive indirecta, non licet uti notitia eorum, quae quis ex confessione accepit, si exinde poenitenti vel aliis, v. g. complicitibus, oriri possit damnum vel quodlibet gravamen. (Q. 5.)—*Quaesita.* Quinam censentur sigillum *directe* violare. (R. 2.^o 3.^o 4.^o 5.^o 6.^o 7.^o)—Quinam *indirecte.* (1. 9.)—An violet sigillum, qui dicit se in tali monasterio vel Ordine religioso audivisse peccatum grave. (R. 8.^o Nota.)—Quid si dicat se audivisse peccatum grave alicujus Religiosi *in genere.* (Ibi.)—Quid si dicat tale vitium regnare in aliqua civitate aut pago, aut ibi gravia peccata committi. (Q. 2.)—An Confessarius tradens poenitenti schedulam in testimonium confessionis, declarare possit eum fuisse absolutum. (660.)—Quomodo conficienda sit schedula confessionis. (Ibi.)—

An violet sigillum Confessarius, qui poenitenti indisposito schedulam confessionis denegat. (Ibi. Q. 8.)—Quid si poenitens simulatam confessionem fecerit. (Ibi. Resp. 4.^o)—An possit Confessarius monere complicem de licentia poenitentis, vel alium ad complicem corrigendum. (663.) Quid in praxi.—An possit Confessarius communionem negare poenitenti, cui prius absolutionem negavit, si hic ad sacram mensam accedat. (667.)—An praedicatores uti possint notitia confessionis ad loquendum de iis, de quibus non cogitassent, nisi confessiones audivissent. (Q. 3.)—An Sacerdos, qui ex confessione novit sibi parari insidias, possit fugere, aut alio modo damnum praecavere.—An Superiores uti possint notitia confessionis ad gubernationem externam, si nullo modo appareat quod ex illa notitia se dirigant, *et sine ullo poenitentium gravamine*.—Quandonam Confessarius uti possit notitiae confessionis.—Quid in dubio an in tali modo loquendi vel agendi adsit periculum *revelationis* vel *offensionis*. (P. II.)—Conclusio.

LECTIO 27. F.

Epilogus hujus Tractatus.

TRACTATUS.

DE EXTREMA UNCTIONE.

(in quatuor capita divisus:)

1.^o De natura: 2.^o de materia et forma: 3.^o de Ministro: 4.^o de subjecto Extremæ Uctionis

LECTIO 1.^a G.

Cap. I. De natura Sacramenti Extremæ Uctionis. I. DEFINITIO. Quomodo Extrema Uctio definitur. II. VERITAS. An sit verum Novæ Legis Sacramentum. III. INSTITUTIO. "Sacramentum Extremæ Uctionis institutum fuit á D. N. Jesu Christo, et promulgatum á B. Jacobo Apostolo. Quandonam institutum fuerit, res incerta est.,. IV. EFFECTUS. "Sacramentum Extremæ Uctionis causat gratiam sanctificantem; et quidem *secundam*, si infirmus sit in gratia: si autem sit in mortali peccato, causat *primam* gratiam, dummodo attritus existat; et hoc non tantum quando letalia non recordetur, vel se contritum existimet, sicut cetera Sacramenta vivorum, verum etiam quando illa confiteri non possit, vel de illis conteri nequeat, quod est *probabilius*. Unde Extrema Uctio est *per se* Sacramentum, tum vivorum tum mortuorum: *vivorum* quidem *primario et absolute*; *mortuorum* autem *secundario et hypothetice*. Gratia hæc, qua sacramentalis, tria præstat; nempe: 1.^o aegroti animam recreat, et confirmat: 2.^o reliquias peccatorum abstergit, et interdum 3.^o sanitatem corporis restituit.,.

LECTIO. 2.^a G.

Cap. II. De materia et forma Extremæ Uctionis. 1.^o De materia. 2.^o de forma. *Art. I. De materia. Principia.* I. Quænam sit materia remota hujus Sacramenti. II. Quid de præcepto Ecclesiæ. III. Quænam sit materia proxima. IV. Quomodo unctiones fieri debeant. (Q. 7.) *Quæsitæ. Circa I.* An oleum necessario debeat esse olivarum. —An debeat necessario esse benedictum ab Episcopo. —Quotuplex distinguitur Oleum sanctum, et quisnam eorum usus. (Q. 4.) —An oleum Extremæ Uctiones necessario debeat esse oleum infirmorum. (Q. 4.) *Circa III.* An una sola gutta olei sufficiat ad unctiones faciendas. (Q. 11.) —An unctio quinque sensuum sit de necessitate Sacramenti. (Q. 5.) —An muti, surdi, et caeci á nativitate ungenti sint in sensibus, quibus carent, et semper caruerunt. (Q. 9.) —Ubinam

ungendus sit infirmus manu vel pede truncatus. *Circa IV.* An de necessitate Sacramenti servandus sit ordo inter variorum sensuum unctiones. (Q. 8.)—An requiratur gemina unctio in geminis partibus. (Q. 6.)—An liceat unctiones sacras peragere mediante penicillo. (Q. 12.)—Quale sit peccatum omittere signum crucis in unctionibus. (n. 687. Q. 6.)

Art. II. De forma. Principia. I. Quaenam sit forma Extremae Uctionis. II. Forma integre repetenda est. . . . III. Verba formae, quae certo pertinent ad essentiam, sunt: *Per istam unctionem*, quibus actio Sacramentalis significatur, et *indulgeat tibi Dominus*, quibus exprimitur effectus Sacramenti. *Quaesita. Circa II.* An ad validitatem sufficiat unica forma ad omnes sensus, si singuli distincte exprimantur et ungantur.—Quid si urgeat necessitas.—*Circa III.* An ad validitatem Sacramenti requiratur expressio cujuslibet sensus.

LECTIO 3.^a G.

Cap. III. De Ministro Extremae Uctionis. Principia. I. Quisnam est Minister hujus Sacramti *jure divino*, seu vi ordinationis. II. Quisnam est Minister *jure ecclesiastico*, seu vi jurisdictionis. III. An vel quomodo peccent Sacerdotes hoc Sacramentum ministrantes sine licentia Parochi. IV. An vel qualis sit obligatio Extremam Uctionem ministrandi. (Q. 3.) V. “Extrema Unctio ministrari debet juxta formam in Rituali Romano praescriptam; ideoque cum sacris vestibus, cum orationibus et precibus, et adhibitis lumine et ministro.” *Quaesita. Circa II.* An quivis Sacerdos possit hoc Sacramentum ministrare ex consensu Parochi probabiliter praesumpto. *Circa IV.* An Parochus expectare possit mortis articulum ad conferendum hoc Sacramentum. (Q. 8.)—An teneatur infirmis assistere, postquam Extremam Uctionem susceperint. (Ibi.) *Circa V.* An sit mortale omittere orationes in Rituali praescriptas. (Q. 2.)—An ministrare sine vestibus sacris.—An sine lumine.—An sine ministro.—An in necessitate mulier adhiberi possit.—Quando suscipit aegrotus et Viaticum et Extremam Uctionem, quodnam Sacramentum debeat prius administrari.

LECTIO 4.^a G.

Cap. IV. De subjecto Extremae Uctionis, et de necessitate, et iteratione Sacramenti. Principia. Circa subjectum. I. Quisnam est subjectum Extremae Uctionis.—An pueri, amentes, et sani.—An delirantes.—An aegroti in periculo mortis dubio. II. Quaenam dispositiones requirantur ad hujus Sacramenti susceptionem. (Q. 7.)

Quid si infirmus non possit confiteri.—Quid si nec conteri queat. (Ibi.) *Circa necessitatem.* I. Sacramentum Extremae Uctionis est necessarium ad salutem *necessitate medi*, quoties infirmus in peccato mortali existens non potest confiteri aut conteri; quia in hoc casu Sacramentum *mortuorum* est.—An si infirmus jam sit justificatus per confessionem, detur obligatio gravis recipiendi hoc Sacramentum. (Q. 6.) *Circa iterationem.* I. Sacramentum Extremae Uctionis iterari potest in duplici casu: 1.^o quoties aegrotus in periculoso morbo inunctus convaluit, et rursus in morbum periculosum incidit: 2.^o etiam in eadem infirmitate, si diuturna fuerit, et infirmus notabiliter convaluerit, ita ut á periculo mortis eripi visus fuerit, et iterum in idem inciderit. (Q. 4.)—An iterari possit in eodem morbo diuturno, si dubitetur, an revera status morbi mutatus fuerit. (Q. 5.)

LECTIO 5.^a G.

Epilogus hujus Tractatus.

TRACTATUS.

DE ORDINE.

(in quatuor capita divisus.)

1.^o De natura: 2.^o de materia et forma: 3.^o de Ministro: 4.^o de subjecto Ordinis.

LECTIO 1.^a H.

Cap. I. De natura Ordinis. Vox *Ordo* bifariam accipitur; vel *pro sacra ordinatione* seu *ritu*, quo Ecclesiae ministri inaugurantur, vel *pro potestatis gradu*, quam quis in sacra ordinatione obtinet. Hic agitur de Ordine in priori sensu accepto, seu quatenus sacram ordinationem significat. I. DEFINITIO. “Ordo sive sacra ordinatio, generatim sumpta, definitur: *Ritus sacer, seu Sacramentum N. L. á Christo institutum, quo spiritualis potestas confertur Sacramenta conficiendi et ministrandi, ceteraque ecclesiastica munia pro jure obeundi.* Prout Ordo dicitur *ritus sacer*, omnes omnino gradus seu ordines complectitur; prout vero dicitur *Sacramentum*, ad eos tantum refertur, quibus vera sacramenti ratio competit., II. NUMERUS. An praeter Presbyteratum seu Sacerdotium sint in Ecclesia alii Ordines, et majores et minores, et quot enumerentur.—Quinam majores dicantur, et quinam minores. His adde *Episcopatum* et *primam tonsuram*.—Quid sit *Ostiaratus*.—Quid sit *Lectoratus*.—Quid sit *Acolythatus*.—Quid sit *Subdiaconatus*.—Quid sit *Diaconatus*.—Quid sit *Presbyteratus*. “Denique *Episcopatus* definitur: Ordo supremus, quo Presbytero tribuitur potestas conferendi Sacramenta Confirmationis et Ordinis, regendique Ecclesiam sibi commissam. *Prima autem tonsura* est ceremonia ab Ecclesia instituta, qua laicus baptizatus et Sacramento Confirmationis consignatus sacro ritu in clerum instituitur., III. VERITAS. An Ordo seu sacra ordinatio sit vere et proprie dictum N. L. Sacramentum. Hinc: 1.^o Certum est Presbyteratum, seu ritum illum, quo Sacerdotium confertur, veri Sacramenti rationem habere; etenim si de fide est aliquam ordinationem sacramentum esse, vel dicendum Sacerdotium, omnium Ordinum nobilissimum ac praestantissimum, Sacramenti dignitate gaudere, vel nutare istud fidei nostrae dogma. Aliunde in ordinatione Presbyteratus seu Sacerdotii inveniuntur omnia ad Sacramentum requisita. 2.^o Communis et certa est Theologorum sententia Diaconatum verum esse Sacramentum. (Q. 2.) *Quaesita*. An etiam Subdiaconatus sit Sacramentum.—An Ordines minores.

LECTIO 2.^a H.

Cap. II. De materia et forma Ordinis.—Principia. I. Certum est materiam minorum Ordinum constare solis instrumentis, per quorum traditionem confertur Ordo; formam autem illis verbis contineri, quibus utitur Episcopus, dum instrumenta tradit.—Quaenam sint instrumenta horum Ordinum. II. Certum pariter est materiam Subdiaconatus apud Latinos etiam esse traditionem instrumentorum. Instrumenta in hac ordinatione adhibita duo sunt; liber Epistolarum, et calix vacuus cum patena vacua. Forma sunt verba, quibus utitur Episcopus. Quaestionis est, an utraque materia sit necessaria, vel alterutra, et qualis. III. In ordinatione Diaconatus in Ecclesia Latina duplex adhibetur materia; impositio manus et traditio libri Evangeliorum. Forma duplex quoque. Controvertitur, an utraque sit sacramentalis, vel alterutra, et qualis. *Probabilius* sola impositio manus. IV. In ordinatione Presbyteratus Ecclesia Latina utitur duplici materia: traditio calicis cum vino et patena cum hostia, et impositio manus. Imo in hac ordinatione Episcopus ter manus imponit super ordinandos: primo post Litanias una cum adstantibus praesbyteris, nihil dicens: deinde paulo post, proferens haec verba, *Oremus, frater charissime*; demum post communionem, cum dicit, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remisseris peccata*. *Probabilius* materia essentialis est tantum manus impositio; et quidem quae est ordine secunda. Attamen in praxi tutior pars est sequenda. *Quaesita.* An requiratur tactus physicus instrumentorum.—An in ordinatione Presbyteratus traditio utriusque speciei, nempe, hostiae et vini necessario requiratur.—An valide ordinetur, qui tangit hostiam, non autem patenam, et qui tangit calicem et patenam, non autem hostiam.

LECTIO 3.^a H.

Cap. III. De Ministro Ordinis. Minister Ordinis potest esse: 1.^o *ordinarius et extraordinarius*: 2.^o *legitimus et illegitimus*, prout in Ordinibus conferendis Ecclesiae leges observat, vel in aliqua deficit. "*Principia* I. Quisnam est Minister ordinarius Sacramenti Ordinis. II. An simplex Sacerdos possit esse Minister extraordinarius sacrae ordinationis, et ex qua commissione. III. Episcopus *licite* sive *legitime* tantum proprios subditos ordinare potest; alios vero cum *dimissoriis* sui Episcopi. IV. Episcopus dicitur *proprius* quadruplici titulo, videlicet, titulo *nativitatis* seu originis, vel *domicilii*, vel *beneficii* vel *familiaritatis* seu famulatus. (Q. 1.) V. Si Ordinandus plures habeat Episcopos proprios, liberum est ei eligere, quem maluerit; attamen neque Episcopus *originis* potest aliquem ordinare

sine *testimonialibus* Episcopi domicilii, neque is sine testimonialibus Episcopi *originis*, neque ullus Episcopus sine testimonialibus Ordinarii ejus loci, in quo Ordinandus tanto tempore moratus est, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit, id est, saltem circiter sex mensibus, uti in matrimoniis contrahendis. VI. Litterae *testimoniales* dicuntur testimonium Ordinarii de vita et moribus Ordinandi. *Dimissoriae* vero sunt facultas á proprio Episcopo concessa, ut aliquis sibi subditus ab Episcopo alieno ordinetur. VII. Litteras *dimissorias* solus Ordinandi Episcopus dare potest: Vicarius Generalis tantum Episcopo diu in remoto agente. Sede autem vacante, Vicarius Capitularis, non Capitulum, dimissorias potest dare; nempe, *arctatis* infra annum, non *arctatis* post annum *luctus*. (Q. 2.) *Quaesita*. A quonam Episcopo Regulares ordinandi sint.— Quid si Episcopus loci ordinationem non faciat.—Quaenam Missa dicenda sit ab Episcopo in collatione generali Ordinum, quando occurrit aliquod festum.

LECTIO 4.^a H.

Cap. IV. De subjecto Ordinis. Principia, I. Quisnam est subjectum Ordinis seu sacrae ordinationis.—An parvuli. II. Ad *validitatem* Ordinationis in adultis requiritur intentio actualis, vel virtualis, vel saltem habitualis. III. Ad *liceitatem*, seu ut quis Ordines licite suscipiat, plures aliae requiruntur conditiones, quae quidem ad tres classes possunt revocari; videlicet: 1.^o *aliae, quae intimius animam Ordinandi afficiunt*, et sunt divina vocatio, intentio recta, probitas vitae, et animus clericandi: 2.^o *aliae, quae exterius requiruntur*, et sunt Confirmatio, exercitium Ordinis suscepti, aetas, scientia, titulus Ordinationis, exercitia spiritualia, ac immunitas á censura et irregularitate: 3.^o *aliae demum, quae Ordinationis modum spectant*, et sunt interstitia, tempus, locus, legitimus Episcopus, et Ordinatio per gradus.—*Quaesita. Circa scientiam*. Quaenam requiratur scientia in candidatis ad Ordines promovendis.—*Circa aetatem*. Quaenam aetas requiratur ad suscipiendos Ordines.—*Circa locum et tempus Ordinationis*. Quonam tempore et loco Ordines conferri possint. *Circa interstitia*. Quaenam sint interstitia inter singulos Ordines servanda.—*Circa ordinationem per gradus*. An liceat plures Ordines in eodem die suscipere.—An quatuor Ordines minores et Subdiaconomatum. (Q. 4.)—*Circa animum clericandi*. An peccet Clericus, qui initiatus in minoribus uxorem ducit.—An qui suscipit aliquem Ordinem sine animo ascendendi ad superiores. (Q. 7.)—*Circa Confirmationem*. An requiratur, ut ordinandus sit confirmatus.—*Quaesita alia*. An vel quomodo peccet ordinatus, qui omittit recitationem precum, quae post ordinationem per modum poenitentiae ab Epis-

copo imponuntur.—Quale Nocturnum sit recitandum, quando Episcopus imponit *Nocturnum talis diei*. (Ibi.)—An vel quomodo novi Sacerdotes tres Missas ab Episcopo praescriptas legere teneantur. Ad quid teneantur Sacerdotes vi obedientiae, quam Episcopo in ordinatione promiserunt.—An Sacerdotes, vel etiam Parochi statum religiosum amplecti possint, renuente Episcopo.

LECTIO 5.^a H.

APPENDIX I. *De Titulo Ordinationis*. Titulus ordinationis definitur: *Jus percipiendi fructus annuos juxta taxam ab Episcopo determinatam, pro honesta Clerici sustentatione*. Jus hoc vel fundatur in bonis propriis, vel Ecclesiae, vel Monasterii alicujus: unde triplex titulus distinguitur, nempe, *patrimonii, beneficii et religiosae paupertatis*. Titulus *paupertatis* positus est in eo, quod, qui solemniter vota emittunt in aliqua Religione approbata, vel ex redditibus bonorum, quae ipsa Religio possideat, vel ex ipsis fidelium elemosynis omnia communia habeant, quorum ad vitam alendam indigeant. Titulus *beneficii* consistit in hoc, quod Ordinandus aliquod ecclesiasticum Beneficium habeat; et quidem: 1.^o vere tale: 2.^o pacifice possessum: 3.^o congruum juxta taxam dioecesanam. *Patrimonium* definitur: *Jus percipiendi fructus annuos juxta taxam dioeceseos ex bonis sibi propriis sub Episcopi potestate constitutis*. Ad hoc ut *patrimonium* pro titulo ordinationis possit inservire, haec tria requiruntur: 1.^o ut constituatur *in re immobili frugifera*, vel quae instar immobilis habetur, ut ecce in censibus consignativis, et etiam in syngrafis debiti publici (papel de la Deuda), modo tamen hypothecae supponantur, ut passim fit: 2.^o ut constituatur ea lege tacita vel expressa, ut ordinandus statim ab ordinatione fructus percipiat, saltem donec alio titulo provideatur: 3.^o ut actus conditus sit in forma valida juris, civilis quoque, ut in foro externo actionem praestet: adeoque, si patrimonium ab alia persona constituatur, confici debet donatione *inter vivos* jure facta et ab Ordinario acceptata; secus eo instrumento. quo bona patrimonialia hypothecae obligari, et inscribi jure possint.

APPENDIX II. *De vocatione clericali*. Vocatio divina clericalis definitur: *Actus providentiae supernaturalis, quo Deus aliquos prae aliis eligit ad ministerium ecclesiasticum, eosque congruis dotibus praeparat ad ejusdem ministerii officia digne et laudabiliter obeunda*. *Principia*. I. An divina vocatio necessaria sit ad Ordines licite suscipiendos. II. Signa divinae vocationis, *generaliter loquendo*, seu *juxta ordinariam providentiam*, sunt debita aptitudo, recta intentio et probitas vitae. III. *Debita aptitudo* consistit in hoc quod Ordinandus immunis sit á defectibus tum animi tum corporis, qui statum

clericalem dedecent, (pars negativa), et simul praeditus sit scientia, ceterisque dotibus congruis ad ecclesiasticum ministerium rite exercendum. (pars positiva.) IV. *Recta intentio* in eo consistit, quod Ordinandus sacrae militiae petat abscribi, non ob fines temporales et humanos, (pars negativa), sed ex puro desiderio vacandi divinae gloriae et saluti animarum. (pars positiva.) V. *Probitas vitae*, prout signum est divinae vocationis, sita est in statu gratiae, non tantum cum quis Sacramentum Ordinis suscipit, sed multo ante Ordinis susceptionem; quia status clericalis status perfectionis est, et non poenitentiae. Unde ad mentem S. Alphonsi hujusmodi vitae probitas non solum requirit. “ut initiandus non sit malus, (pars negativa), “sed etiam ut sit positive bonus, scilicet, ut vitam agat spiritualem, “sit assiduus in Ecclesiis, Sacramenta frequentet et orationem, vivat “á saecularibus segregatus, sociis morigeris comitetur, studio vacet, “modesta utatur veste, etc. . . .” (pars positiva.) *Quaesita*. An sit concedenda absolutio Clerico habituato in vitio turpi occulto, qui ad Ordines sacros ascendere velit sine praevio continentiae experimento. (718.)—An vel quomodo peccet, qui sine vocatione ex praedictis signis explorata in sacrum ministerium se intrudit. (720.)—Quid agendum Episcopo, ut candidatos ad sacros Ordines satis probet.

LECTIO 6a. II.

Epilogus hujus Tractatus.

TRACTATUS.

DE MATRIMONIO.

Matrimonium idem sonat ac *munus matris*, quia idcirco femina nubere debet, ut mater fiat, inquit Catechismus Romanus; vel quia prolem concipere, parere et alere *matris munus* est. Agendum est: 1.^o de praeparatione Matrimonii: 2.^o de ipso Matrimonio.

PARS I.

DE PRAEPARATIONE MATRIMONII.

Ad praeparationem Matrimonii duo referuntur: 1.^o sponsalia: 2.^o banna. Seorsim totidem capitibus.

CAPUT. I.

DE SPONSALIBUS.

(in tres articulos divisum.)

1.^o De natura: 2.^o de obligatione et effectibus: 3.^o de dissolutione sponsalium.

LECTIO 1.^a I.

Art. I. De natura sponsalium. DEFINITIO. Sponsalia definiri solent: "Promisso deliberata, mutua, et aliquo signo expressa futuri matrimonii inter personas habiles,,". *Promissio*, quia contractus; *deliberata*, seu cum cognitione oneris, et libertate; *mutua*, quia bilateralis; *expressa*, quia inter homines; *futuri matrimonii*, quia promissio rem futuram, non praesentem, respicit; *inter personas habiles*, id est, quarum matrimonio nullum obstat impedimentum, sive dirimens, sive impediens; quia res promissa licita esse debet. DIVISIO. Quomodo distinguuntur sponsalia. *CONDITIONES. Principia.* I. Quatenus conditiones requirantur ad validitatem sponsalium. II. Sponsalia inita vel oretenus absque ulla solemnitate, attento jure canonico, valida sunt; attamen ex lege civili hispana, ut vim habeant in foro externo, per scripturam publicam iniri debent, et obtento consensu paterno. Olim, his praetermissis, sponsalia censebantur valida in foro conscientiae; nunc autem aliud obtinet ex recenti declaratione S. Cong. Concilii 31. Jan. 1880. III. Sponsalia inita sub

conditione, si conditio sit contra substantiam matrimonii, invalida sunt; quia quidquid vitiat matrimonium, vitiat sponsalia. Si vero conditio sit possibilis et licita, sponsalia valent; et si quidem est *resolutiva*, id est, *de praeterito* vel *de praesenti*, protinus valent; sin *suspensiva* seu *de futuro*, ea pendente, sponsalia non intelliguntur, impleta autem, tenent ipso jure et absque novo consensu. IV. In dubio de validitate sponsalium, in foro conscientiae standum est intentioni contrahentium, si de illa constet; in foro externo communi intelligentiae et sensui verborum. Si vero signa vel verba adhuc dubia maneant et aequivoca, inclinandum est in favorem libertatis, ne coacta matrimonia fiant. *Quaesita. Circa* I. An promissiones, quae fieri solent de ineundo matrimonio, habendae sint ut vera sponsalia. (Q. 4.)—An matrimonium mere civile haberi possit instar sponsalium. (730.)—An valeant sponsalia ex metu gravi contracta.—An ex metu levi.—An inter habentes impedimentum dirimens valida sint sponsalia sub conditione, si Papa dispensaverit.—An licitae sint arrhae in sponsalibus. (728.)—An sponsa reddere debeat munera á sponso accepta, si matrimonium non subsequatur. (Ibi.)

LECTIO 2.^a I.

Art. II. De obligatione et effectibus sponsalium. Sponsalia sunt contractus in re gravi ex utraque parte obligationem pariens; hinc: *Principia.* I. Sponsalia obligant partes contrahentes ad matrimonium ineundum. II. Non licet sponsis, non solutis sponsalibus, ad alia divertere, vel matrimonium cum alia persona contrahere. Primum, si faciant, *invalide*, alterum *illicite*: unde sponsalia dicuntur inducere impedimentum *impediens* matrimonium, et *dirimens* alia sponsalia: et hoc *jure naturae*. III. Insuper sponsalia *jure canonico* inducunt etiam impedimentum *dirimens* matrimonium, quod vocatur *publicae honestatis*. ... *Quaesita.* An qui sponsalia contraxit cum duabus feminis, et cum secunda peccavit, teneatur ducere primam.—An prior haec sponsa cedere debeat de jure suo, si altera ex defloratione grave damnum passura sit.—An ille, qui promissit matrimonium puellae ea conditione, ut cum ea peccet, illam ducere debeat.

LECTIO 3.^a I.

Art. III. De dissolutione sponsalium. Principia. I. Sponsalia ex omnium sententia ob justas causas dissolvi possunt *quoad promissionem*; non tamen *quoad impedimentum publicae honestatis*, quod semel contractum, non nisi per dispensationem tollitur. II. Causae justae enumerantur sequentes: 1.^o *Quatenus sponsalia sunt contrac-*

tus, possunt dissolvi ex triplici capite, nempe, mutuo consensu; si alter ex sponsis promissioni non stetit; si res promissa dari posse desiit. 2.^o *Quatenus sunt contractus gratuitus*, dissolvi possunt, si is casus acciderit, in quo alteruter ea non contraxisset. 3.^o *Quatenus sunt talis contractus*, dissolvi possunt, si alter perfectiorem vitae statum inire maluerit. Verum in quolibet casu aliqua sunt certa, multa probabilia. Haec in quaesitis.

Et primo certum est sponsalia dissolvi *mutuo consensu*; etenim sicut mutuo partium consensu perficiuntur, ita mutuo earum consensu possunt dissolvi. Verum ad hoc duo requiruntur: 1.^o omnimoda libertas: 2.^o ut sponsi aetatem pubertatis jam adepti fuerint.

Secundo, *si alter promissioni non stetit*; et ex hoc capite jure suo cadit, salvo jure alterius: 1.^o qui contrahendi matrimonii moram nimiam facit: 2.^o qui alia iniit sponsalia: 3.^o qui fornicatur, sive mulier sive vir. Ratio est, quia sponsalia semper censentur facta sub tacita conditione, *dummodo alter contra regulam desponsationis non venerit*.

Tertio, *si res dari posse desiit*; quod evenit: 1.^o si aliquod supervenerit impedimentum dirimens, v. g. impotentia: 2.^o si alter cum alia persona matrimonium contraxerit. *Quaeres*. An sponsalia dissolvantur per matrimonium subsequens, ita ut, soluto matrimonio, non reviviscant. (Q. 5.)

Quarto, *si is casus supervenerit, in quo alter ex sponsis non contraxisset*: et hoc fieri potest: 1.^o si alter non possit inire nuptias sine incommodo gravi proprio vel alieno, v. g. sine familiae dedecore: 2.^o si qua gravis mutatio seu corporis, seu animi, seu etiam fortunarum supervenerit. *Quaesita*. An sit causa sufficiens dissolvendi sponsalia, si sponso adveniat pinguis haereditas. (Q. 1.)—An dissensus parentum sit causa sufficiens resiliendi á sponsalibus. (Q. 3.)—An sponsus possit resilire, si sponsa fuerit per vim violatam. (Q. 6.)—An pars laborans occulto defectu, teneatur illud aperire ante sponsalia, vel, iis contractis, ante matrimonium. (Q. 4.)

Quinto, licitum est recedere á sponsalibus *ob perfectiorem vitae statum*; quod quidem certum est, si quis professionem religiosam inire velit, dummodo id fieri possit sine gravi damno sponsae. *Quaeres*. An solvantur sponsalia per votum castitatis, vel votum sacros Ordines suscipiendi. (Q. 2.)

LECTIO 4.^a I.

Cap. II. De Bannis. Quid sunt *banna* “Inducta sunt ab Ecclesia: 1.^o et praecipue, ut detegantur, si quae sint, impedimenta. 2.^o ut eliminentur matrimonia clandestina: 3.^o ut filii familias, invitis parentibus, non contrahant. Agendum: 1.^o de proclamatione bannorum:

2.^o de revelatione impedimentorum. *Art. I. De proclamatione bannorum*: 1.^o De necessitate: 2.^o circumstantiis: 3.^o de dispensatione.

§. I. *De necessitate bannorum. Principia. I. Datur obligatio banna proclamandi*. Constat ex Tridentino: *Praecipit S. Synodus, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter á proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia inter Missarum solemnias publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum*. An hoc praeceptum obliget sub gravi. (Nota.) II. An proclamatio bannorum requiratur ex necessitate Sacramenti. *Quaesita*.—An omnes contracturi proclamationis legi subjiciantur. An peccet graviter Parochus omittens denuntiationes, si sciat nullum adesse impedimentum. (Nota.)—An peccet graviter, si unam vel duas tantum proclamationes omittat.

§. II. *De circumstantiis bannorum. I. Circumstantia temporis*.—Quando proclamationes fieri debeant.—An aliquando possint fieri diebus non festivis. (Nota.)—An sit peccatum grave proclamationes facere diebus non continuis, uno vel altero die interjecto. (Nota.) An possint fieri diebus festis immediate sibi succedentibus. (Nota.) Intra quam Missam proclamationes debeant fieri.—An aliquando fieri possint in alia Missa non parochiali, vel in Vesperis. (Nota.) An statim post ultimam proclamationem possit eadem die contrahi matrimonium. (Nota.)—An repetendae sint proclamationes, si semel factis, matrimonium protrahatur. II. *Circumstantia loci*. “Ex Tridentino proclamationes fieri debent *in Ecclesia á proprio contrahentium Parocho*.”—Quae Ecclesia intelligenda sit in casu.—An proclamationes fieri possint in sacellis vel in Ecclesia non parochiali. (Nota.)—Quisnam censetur proprius contrahentium Parochus. In qua Ecclesia facienda sit proclamatio, si sponsi in diversa parochia habitent.—Quid si unus aut uterque domicilium habeat in duabus parochiis.—Quid si domicilium habeat in una parochia, et in altera quasi-domicilium.—Quid si contrahentes recens domicilium fixerint in actuali parochia. “Denique si alter ex sponsis fuerit alterius dioecesis, ve licet ejusdem dioecesis, procul tamen á parochia post nubilem aetatem diu sit commoratus, nequit Parochus in utroque casu ejus matrimonio assistere, nisi ipse coram Episcopo per testes probaverit, se nullo impedimento irretitum esse. (S. C. C. 21. Aug. 1679.) Ex nostra Synodali sufficit absentia quatuor mensium. III. *Circumstantia personarum*. 1.^o *Minores*.—Quisnam censentur *minores*.—In quo loco *minores* proclamari debeant. 2.^o *Milites*. In quo loco banna militum sint proclamanda. 3.^o *Vagi et alienigenae*. In quo loco istorum banna publicanda sint.—Quid amplius requiritur, ut Parochus horum matrimonio possit assistere. 4.^o *Famuli*. Denique famuli proclamari debent in domicilio facti, et in loco originis, licet á decennio et amplius á tali loco discesserint, nisi forte discesserint adhuc impuberes.

§. III. *De dispensatione bannorum.* De hac re ita Conc. Tridentinum. *Si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes, tunc una tantum denuntiatio fiat; nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut praedictae denuntiationes remittantur, quod illius prudentiae et iudicio S. Synodus relinquit.* Hinc: *Principia.* I. Episcopi seu Ordinarii possunt dispensare in denuntiationibus. II. Licet Tridentinum unicam tantum causam dispensandi assignaverit, hoc non ad exclusionem, sed ad exemplum fecit, uti S. Cong. Concilii declaravit. III. Causae legitimae dispensationis duplicis generis distinguuntur; aliae, quibus extantibus, Episcopus, non solum potest, sed etiam tenetur dispensare; aliae, ob quas non tenetur quidem dispensare, sed potest. (Nota.) *Quaesita.* An cum sponsi sint ex diversa dioecesi, dispensatio ab utroque Episcopo obtinenda sit.—An requiratur dispensatio bannorum ad conjungendos concubinarios jam civiliter unitos, si unus eorum sit in articulo mortis.—An Vicarius Generalis possit dispensare á proclamationibus.

Art. II. De revelatione impedimentorum. Principia. I. An detur obligatio gravis impedimenta matrimonii revelandi. II. Quinam tenentur impedimenta revelare. III. Quandonam denuntiatio fieri debeat.—An, celebrato matrimonio, cesset obligatio denuntiandi. IV. Parochus, impedimento aliquo denuntiato, tenetur interdicere nuptias, rem deferendo Ordinario, cujus est judicare utrum revera impedimentum extet. *Quaesita. Circa I.* An revelari debeant impedimenta sub secreto etiam commisso cognita.—An cognita sub secreto consilii.—An tenearis impedimentum revelare cum gravi tuo incommodo vel detrimento. (Nota.)—An tenearis impedimentum revelare, si tu solus illud noveris, nec probare possis. *Circa II.* An ipsi contrahentes impedimentum revelare teneantur.

PARS II.

DE IPSO MATRIMONIO.

(in septem capita divisa:)

1.^o De natura et proprietatibus Matrimonii: 2.^o de ipsius materia et forma: 3.^o de ministro: 4.^o de subjecto: 5.^o de impedimentis: 6.^o de revalidatione matrimonii irriti: 7.^o de debito conjugali.

LECTIO 5.^a I.

Cap. I. De natura et proprietatibus Matrimonii. 1.^o De natura: 2.^o de proprietatibus. *Art. I. De natura Matrimonii.* I. DEFINITIO.

Quotuplici sensu Matrimonium spectari potest.—Quid est Matrimonium, ut contractus. “Constat igitur, uti contractus ceteri, persona, re, et consensu. *Persona*, vir et mulier, et quidem habiles tum natura tum lege. *Res* est, quod ultro citroque datur et accipitur, nempe, dominium seu jus in corpora in ordine ad actus ex se aptos ad generationem proles, seu, ut in jure loquitur, *ad eandem vitae consuetudinem* seu societatem; et quidem *individuum*, id est, perpetuam et indissolubilem. *Consensu*, quia matrimonio perficitur mutua conventionem seu voluntate contrahentium: usus autem seu commixtio corporum pertinet ad consummationem, non vero ad essentiam contractus. Huic contractui naturali accedit gratia ex voluntate et institutione Christi, qui illum *sacramentali dignitate auxit*: unde Sacramentum non est aliud á contractu, sed ipsemet contractus naturalis ad Sacramenti dignitatem elevatus. Quocirca Matrimonium, ut Sacramentum, definitur: *Sacramentum N. Legis, quo fidelibus matrimonium contrahentibus datur gratia ad pie et sancte in connubio vivendum, et prolem educandam.* II. INSTITUTIO. Matrimonium, qua contractus naturalis, institutum fuit á Deo in ipso mundi exordio; qua Sacramentum, elevatum fuit á Christo Domino ad conferendam gratiam, sive cum nuptias praesentia sua sanctificavit in Cana Galilaeae, sive cum Matth. cap. 19. dixit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* III. DIVISIO. 1.^o *In fieri*, ipse contractus; *in facto esse*, societas seu vinculum, quod ex contractu provenit. 2.^o *Legitimum*, quod rite contrahitur inter infideles; *ratum*, quod inter baptizatos; utrumque dicitur *consummatum* postquam copula conjugali completum est. 3.^o In jure canonico dicitur *verum*, quod reapse et valide contractum est, atque ut tale probatur seu probari potest; *praesumptum*, quod á lege praesumitur contractum. (Nota); et *putativum*, quod valide contractum existimatur, cum tamen á parte rei ob latens aliquod impedimentum sit nullum. 4.^o *Mere canonicum*, in quo omnia concurrunt, quae á sacris Canonibus praescripta sunt, sed caret formalitatibus et juri-bus civilibus; *mere civile*, in quo é contrario; *canonicum-civile*, si ad normam utriusque juris sit contractum. 5.^o Matrimonium *conscientiae*, quod secreto contrahitur, scilicet, sine proclamationibus, et tantum coram Parocho et duobus testibus; et denique *morganicum*, quod contrahitur cum femina inferioris conditionis eo pacto, ut uxor et liberi ab haereditate paterna abstineant una cum dignitatibus, titulis et insignibus. IV. VERITAS. An matrimonium inter baptizatos sit verum et proprie dictum Sacramentum. V. BONA ET FINIS. *Bona* Matrimonii inter fideles sunt haec: bonum proles, bonum fidei, et bonum Sacramenti. *Bonum proles* consistit in prole suscipienda, enutrienda et educanda. *Bonum fidei* in eo, quod vir et mulier fidem, quam contrahendo promisserunt, sibi servant. *Bonum Sacramenti* in eo, quod mulier alligata est viro quanto tempore

vir ejus vixerit, et vir mulieri quandiu ei vita contigerit. *Finis* Matrimonii triplex quoque: essentialis, accidentalis intrinsecus, et accidentalis extrinsecus. *Finis essentialis* est mutua corporum traditio, et radicalis obligatio ad reddendum debitum. *Finis accidentalis intrinsecus* est sobolis procreatio, mutuam vitae adiutorium, et post Adae peccatum etiam remedium concupiscentiae. *Finis accidentalis extrinsecus* est voluptas, divitiae, pax inter consanguineos, et similia. VI. CONDITIONES SUBSTANTIALES. Ad validitatem Matrimonii, tum jure naturali, tum jure Evangelico et canonico requiruntur tria haec, quae in definitione continentur: 1.^o *persona*, id est, vir et mulier habiles: 2.^o *res*, seu traditio corporum: 3.^o *consensus*, seu voluntas contrahentium. Imo consensus ad Matrimonium debet esse: *mutuus*, quia Matrimonium est contractus bilateralis; *de praesenti*, quia res actu traditur; *deliberatus*, seu cum cognitione oneris; *voluntarius et liber*, quia de re gravi; *manifestatus aliquo signo*, quia inter homines.

Quaesita. Circa conditiones in genere.--An requiratur consensus parentum ad validitatem contractus matrimonialis. (754.)--An requiratur ad liceitatem.--An filii aliquando, invitis parentibus, matrimonium contrahere possint.--Quid agendum Confessario vel Parocho, quando filii familias, invitis parentibus, contrahere volunt. *Circa consensum contrahentium.* An consensus verbis exprimi debeat. (748.)--An ad validitatem matrimonii sufficiat consensus per procuratorem.--Quid de liceitate.--An sit validum matrimonium initum sub conditione *de praeterito* vel *de praesenti*.--An sub conditione *de futuro*, si conditio sit honesta et possibilis.--An sit licitum contrahere cum consensu conditionato.--An sit validum matrimonium initum sub conditione honesta, quae excludat *bonum prolis*, v. g. quando quis apponat conditionem, *si mecum in castitate perpetua vivas*. "Res contractus est corporum traditio, non vero eorum usus, seu commixtio." (Nota.)--An sub conditione turpi, quae repugnet bonis matrimonii.--Quid si talis conditio expresse non apponatur. Quando censetur conditionem, mente retentam, se habere *antede-*
cedenter. (Nota.)—Quandonam se habet *concomitanter*.—An sit validum matrimonium initum sub conditione turpi, quae non repugnat substantiae matrimonii, vel sub conditione *impossibili*.—Quid agendum, si quis dicat se fecte consensisse.

LECTIO 6a. I.

Art. II. De proprietatibus Matrimonii. Duae praecipuae sunt Matrimonii christiani proprietates: *unitas*, et *indissolubilitas*. Seorsim. §. I. *De unitate Matrimonii.* Unitas Matrimonii in eo sita est, quod Matrimonium sit conjunctio unius viri cum una femina. Unitati

ergo opponitur sive *polyandria*, quae est conjunctio feminae cum pluribus viris, sive *polygamia*, quae est conjunctio viri cum pluribus feminis. Utraque tamen dicitur *simultanea* vel *successiva*, prout fit vivente conjuge, vel post ejus mortem. *Principia*. I. An polyandria simultanea sit graviter prohibita, et quo jure. II. An polygamia simultanea sit in omni casu prohibita, saltem de jure positivo. “Constat ex Trid. sess. 24. c. 2. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit*, “Dicitur saltem de jure positivo seu evangelico; quia quaestio est, utrum prohibita sit etiam jure naturali. Sententia affirmativa probabilior videtur: 1.^o quia polygamia aliena est ab aequitate, quae in contractibus paria jura desiderat: 2.^o quia repugnat matrimonii finibus, licet secundariis, uti sunt pax inter conjuges eorumque filios. Verum cum non repugnet primario fini, nempe, procreationi prolis, Deus, jurium omnium dominus, dispensare potest, et de facto dispensavit in Antiqua Lege., III. An secundae nuptiae sive viri sive mulieris sint prohibitae. “*Declaramus, non solum secundas, sed et tertias, et quartas, atque ulteriores nuptias, si aliquod impedimentum non obstat, licite contrahi posse*. Ita Eug. IV. in Declaratione pro Armenis.

LECTIO 7.^a I.

§. II. *De indissolubilitate Matrimonii*. Indissolubilitas Matrimonii tria complectitur: 1.^o *vinculum*, seu obligatio mutua ex contractu matrimoniali exorta, vi cujus vir et mulier quodam veluti nexu secum invicem copulantur: 2.^o *cohabitationem*, quae consistit in illa individua vitae consuetudine seu societate, quae matrimonio cohaeret: 3.^o *thorum*, cujus videlicet usu conjuges liberorum procreationi vacant. Idcirco Matrimonii indissolubilitati opponitur, tum solutio vinculi, quae dicitur solutio *perfecta*, tum separatio quoad habitationem et thorum, manente tamen vinculo, quae dicitur solutio *imperfecta*, seu *divortium*. De singulis. *Punct. I. De indissolubilitate Matrimonii quoad vinculum. Principia*. I. An Matrimonium sit *per se* indissolubile quoad vinculum. “Dicitur saltem de lege positiva seu evangelica, quod est de fide. Quod autem sit indissolubile etiam de jure naturali certum est: 1.^o ex propositione 67. á Pio IX. reprobata in Syllabo, quae sic se habet, *Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile*: 2.^o quia necessarium est ad prolis educationem, ut parentes perpetuo ipsius bono incumbant: 3.^o quia alias societas conjugalis concuteretur. Verum cum, *absolute loquendo*, matrimonii finibus non repugnet, Deus potuit dispensare., II. Ex divina dispensatione in Nova Lege triplex datur casus, in quo vinculum matrimonii dissolvi potest; quorum primus est de fide, alter fidei proximus, postremus

certus. 1.^o De fide est, matrimonium *ratum et non consummatum* dissolvi quoad vinculum per solemnem professionem religiosam. Constat ex definitione Tridentini 2.^o Proximum fidei est matrimonium infidelium, *etiam consummatum*, dissolvi posse quoad vinculum, si alterutro conjuge ad fidem converso, nolit alter cum illo vivere, vel non consentiat habitare pacifice, seu sine injuria Creatoris. Constat ex verbis D. Pauli. 3.^o Certum est matrimonium *ratum et non consummatum*, gravi de causa dissolvi posse quoad vinculum per dispensationem R. Pontificis. Constat ex praxi Sanctae Sedis.

Quaesita.

Circa casum primum. (a) An dissolutio vinculi per professionem religiosam sit ex Ecclesiae auctoritate.—Quae professio dicitur *solemnis*. (Nota.)—An professio cum votis simplicibus.—An quae fit in Societate Jesu post biennium tyrocinii. (b)—Quid statutum est in jure, ut sponsi de usu hujus privilegii deliberent.—An judex possit prorogare tempus.—A quo die numerandum est bimestre.—An, transacto bimestri, maneat privilegium, si matrimonium non fuerit consummatum. (c)—Quando matrimonium dicitur *consummatum*.—Qualis debeat esse copula.—An privet privilegio fornicatio habita ante matrimonium.—An qui contrahit secundum matrimonium, gaudeat privilegio, si primum matrimonium fuerit consummatum.—An extendendum sit privilegium ad matrimonia consummata in infidelitate, non vero post baptismum. (d)—An possit ingredi religionem uxor per vim á sponso cognita intra bimestre.—An in hoc casu dissolvatur vinculum.—Quid si uxor conceperit.—Quid denique si pars, quae religionem ingressa est, nimis differat professionem.

Circa casum secundum. “ Ad hoc, ut matrimonium infidelium dissolvi possit ex privilegio D. Pauli, duae conditiones requiruntur; videlicet, conversio unius conjugis ad fidem christianam, et discessio sive phisica sive moralis alterius. (a)—Quid per conversionem ad fidem intelligitur.—An per susceptionem baptismi ipso facto dissolvatur vinculum, vel quando dissolvatur.—Quid si conjux infidelis veniat ad fidem, antequam alter novum matrimonium iniverit.—An soluto matrimonio per novas nuptias, alter conjux, sive convertatur sive non, liber á vinculo evadat.—Quid si conjux fidelis novum matrimonium non contrahat, sed religionem profiteatur, aut sacros Ordines suscipiat, vel votum castitatis emittat.—An in his casibus vinculum matrimonii dissolvatur. (b)—Quandonam datur discessio sive phisica sive moralis conjugis infidelis.—An in aliquo casu liceat conjugi baptizato ad novas nuptias transire, quamvis pars infidelis consentiat pacifice cohabitare.—Quando censetur hoc periculum perversionis adesse. (c)—An praeter duas praedictas conditiones aliquid aliud requiratur, ut pars fidelis secundas nuptias contrahere valeat.—An hujusmodi interpellatio conjugis infidelis sit adeo necessaria, ut, ea omissa,

matrimonium sit invalidum.—Quid agendum sit, quando conversus interpellare alterum non possit.

Circa casum tertium. An Papa á vinculo matrimonii rati dispenset *jure proprio* seu potestate ordinaria.—Quae causa censetur gravis et sufficiens ad dispensationem concedendam.—An haec facultas R. Pontificis sit extendenda ad matrimonia consummata in infidelitate, si conjuges baptismum suscipiant. (Nota.)

LECTIO. 8.^a I.

Punct. II. De indissolubilitate Matrimonii quoad habitationem et thorum, et de divortio. Divortium est separatio conjugum sive quoad habitationem et thorum, sive quoad thorum tantum, manente tamen matrimonii vinculo. Potest esse vel ad tempus vel in perpetuum. *Principia.* I. Conjuges ratione vinculi matrimonialis tenentur simul cohabitare, et vitam socialem ducere: unde, per se loquendo, illicitum est divortium. II. Certum est dari multas causas, ob quas separatio inter conjuges, quoad thorum seu quoad habitationem, ad certum incertumque tempus fieri potest. III. Causae hujusmodi divortium cohonestantes, sunt sequentes: 1.^o Prima et praecipua á Christo ipso in Evangelio assignata, et quidem divortii perpetui, est adulterium alterutrius. 2.^o Haeresis, multoque magis apostasia; quod valet etsi absit periculum perversionis, nam jura non distinguunt. 3.^o Periculum damni gravis ex parte animae vel corporis. 4.^o Mutuus consensus. *Quaesita. Circa adulterium.* Quid veniat nomine *adulterii* in casu. (Nota.)—Quale adulterium esse debeat.—An vir, cognito uxoris adulterio, illam dimittere teneatur.—An, facto divortio, possit innocens alterum cogere, ut ad se redeat.—An conjux innocens teneatur redire ad comparten revocantem, si ipse postea lapsus fuerit.—An divortium privata auctoritate fieri valeat. *Circa periculum.*—Quando censetur adesse periculum grave sive animae sive corporis. *Circa mutuum consensum.* An conjuges possint de communi consilio abstinere á thoro, sive ad tempus sive in perpetuum.—An separari possint etiam quoad habitationem, et ob quas causas.—Quotuplici modo contingere potest separatio perpetua ob vitae perfectionis desiderium. (Nota.)—Quid requiritur, ut licite fiat, quando alteruter tantum Religionem amplectitur.—Quid si conjux profiteatur in Religione, altero invito vel inscio.—Ad quid tenetur uxor, ex cujus consensu vir sacros Ordines suscepit.—An votum ab uxore in saeculo emissum sit simplex vel solemne.—An matrimonium dirimat.—Quid de voto ab uxore emisso, quando vir profitetur in Religione.

LECTIO 9.^a I.

Cap. II. De materia et forma Matrimonii. “Qui olim opinabantur in Matrimonio aliud esse contractum, aliud vero Sacramentum, existimabant Sacramentum in benedictione nuptiali positum esse; adeoque ipsam benedictionem *materiam*, verba benedictionis *formam*, Sacerdotem benedicentem ministrum esse. Nunc vero certum est, imo et fidei proximum, Sacramentum nihil aliud esse, quam ipsum contractum naturalem á Christo sacramentali dignitate auctum: unde nulle propria materia constat, neque forma, neque ministro; sed quae contractus, eadem et Sacramenti et materia et forma est; et qui contrahentes, hi et ministri. Hinc. *Principia.* I. Materia remota Sacramenti Matrimonii, (*res contractus*) est jus seu dominium in corpora; materia vero proxima hujus domini traditio. II. Forma sunt verba, nutus, litterae, quibus consensus contrahentium mutuo significatur; illud, nempe, quo perficitur contractus.

LECTIO 10. I.

Cap. III. De Ministro Matrimonii, et de officio Parochi. Principia. I. Certum est Ministros Sacramenti Matrimonii ipsos esse contrahentes. (P. III.) II. Matrimonia tamen sine praesentia Parochi aut delegati contracta, ubi Decretum Tridentini publicatum est, certo invalida sunt, non quidem ex defectu ministri, sed solemnitatis ab Ecclesia praescriptae. III. Etiam in locis, ubi hoc Decretum promulgatum non fuerit, matrimonia clandestina sunt graviter prohibita. (P. II.) IV. Parochus, licet minister non sit, tenetur agere, ut matrimonium, qua contractus, valide, qua Sacramentum, sancte conficiatur. Ex primo capite debet investigare, utrum aliquod impedimentum obsistat; et siquidem certum aliquod noverit, sponso ad eum remittere, qui potestatem dispensandi habet; sin dubium et fori externi, id Ordinario renuntiare. Ex altero capite Parochus videre debet, an sponsi sint digni. V. Amplius Parochus curare debet, ut in matrimonio contrahendo solemnitates á jure civili praescriptae impleantur. Cum enim in foro civili matrimonium non intelligatur, nisi servatis formalitatibus á lege requisitis, his praetermissis, damna gravia tum spiritualia tum temporalia evenire possunt. VI. Insuper, quoties leges civiles non obstant, curet, ut sponsi primum contrahant in facie Ecclesiae, ne si prius civilem judicem adeant, videantur coram eo matrimonium contrahere. Quod si id leges non ferant, satagere pro viribus debet, ne sponsi diu differant Sacramentum suscipere, et interim sub eodem tecto in commune non habitent, nec nimium inter se familiariter agant. VII. Rursum

semper sponso admonere oportet, ut quando iudici civili se sistunt, illud prae oculis habeant, nullum ab ipsis matrimonium tunc contrahi, sed actum se mere civile obire, quo suum erga leges obsequium ostendunt. VIII. Demum Parochus curare debet ut sponsi benedictionem nuptialem accipiant in contrahendo matrimonio, vel etiam post, si quacumque causa illam tunc non obtinuerint. *Quaesita. Circa IV.* An Parochus exigere debeat, ut praemittatur confessio matrimonio. (774.)—Quid in locis, v. g. in dioecesi nostra, ubi lex particularis existit.—An haec lex aliquam exceptionem excipiat.—An Parochus assistere possit matrimonio eorum, qui sunt publici peccatores. (Q. 1.)—Quid Parocho vel Confessario sit agendum, si sponsi jam sint in Ecclesia ad matrimonium contrahendum, et ex eorum confessione impedimentum adesse deprehendat. *Circa VIII.* An benedictio nuptiarum possit abstrahi á celebratione Missae.—Quaenam Missa dicenda sit pro benedicendis nuptiis, et utrum debeat applicari pro sponso.—Quibus diebus prohibetur Missa votiva *pro Sponso et Sponsa*.—An tempore Adventus et Quadragesimae, in quo benedictio nuptiarum est prohibita, liceat Missam celebrare cum commemoratione pro sponso. An si mulier sit vidua, *iterum* possit benedici. “Haec de benedictione nuptiali, quae est in Missali, et *stricte* talis dicitur; nam benedictio annuli et preces, quae habentur in Rituali, semper impertienda est, sive matrimonium celebretur tempore clauso sive aperto, sive mulier sit vidua, sive non.”

LECTIO. 11. I.

Cap. IV. De subjecto Matrimonii. Principia. I. Quisnam est subjectum *Sacramenti* Matrimonii. II. An infideles, si legitime contrahant, nempe, mutuo ac vero consensu inter personas jure naturae capaces, valide contrahant matrimonium. III. An matrimonium haereticorum et schismaticorum validum sit etiam prout Sacramentum. IV. Matrimonia *mixta*, nempe, catholici cum haeretico aut schismatico, graviter illicita sunt, attamen valida, etiam in ratione Sacramenti; nam ad contrahendum matrimonium uti Sacramentum, requiritur tantum paritas baptismi, non vero fidei seu cultus. V. In subjecto Matrimonii ad validitatem sive contractus sive Sacramenti, requiritur intentio actualis vel saltem virtualis, cum ipsum subjectum sit simul contrahens et minister. Ad licitudinem, seu *ad effectum gratiae*, sponsi fideles matrimonium contrahentes debent esse in statu gratiae, quia matrimonium est Sacramentum *vivorum*. *Quaesita.* An qui contrahunt in peccato mortali, remoto obice, gratiam sacramentalem accipiant. (773.)—An liceat matrimonium inire cum publico peccatore.

LECTIO 12. I.

Cap. V. De impedimentis Matrimonii. Impedimenta Matrimonii sunt leges quaedam statuentes, ne matrimonium licite, aut etiam valide contrahatur. Sunt ergo duplicis generis: aliae tantum prohibentes, et impedimenta *impedientia* dicuntur; aliae vero irritantes, et ideo impedimenta *dirimentia* audiunt. Seorsim. *Art. I. De impedimentis Matrimonium impedientibus.* 1.^o De natura horum impedimentorum: 2.^o de eorum dispensatione. §. I. *De natura impedimentorum.* Impedimenta Matrimonium impedientia defini solent: *quae facienda vetant connubia, facta tamen non retractant.* Quot olim enumerabantur.—Quando contrahebatur *catechismi* impedimentum.—Quid intelligebatur impedimentum *criminis*.—Quae crimina ex veteri jure á contrahendo impediabant.—Quot impedimenta impedientia nunc enumerantur. De singulis totidem punctis.

Punct. I. ECCLESIAE VETITUM. Quid intelligitur sub hoc nomine *vetitum Ecclesiae*.—Quando datur prohibitio generalis, seu á jure contrahendi matrimonium.—Quando habetur prohibitio particularis, seu *ab homine*.—Quae causae censentur justae, ut Superior vel Parochus matrimonium interdicere possint. (Nota.)

Punct. II. TEMPUS. Quid sub nomine *tempus* intelligi venit.—Quod tempus nunc *feriatum* seu *clausum* censetur.—Quid de jure antiquo ante Tridentinum. (Nota.)—An tempore *feriato* sit prohibitum sponso privatim seu sine benedictione nuptiali conjungere.—An matrimonium consummare. (Nota.)

Punct. III. SPONSALIA. De impedimento, quod inducunt sponsalia, dictum est supra. (Lect. I. Art. II.) Sponsalia autem *privata*, seu sine solemnitatibus á jure civili praescriptis, cum penes nos etiam in foro interno non valeant, nullum impedimentum inducunt. (Ibi. Art. I.)

Punct. IV. VOTUM. Quotuplex distinguitur votum matrimonium impediens. I. *Votum simplex castitatis.* Dicitur *simplex*; nam votum *solemne* matrimonium dirimit.—An qui emisit votum castitatis, peccet graviter matrimonium contrahendo.—Quid si contrahat sine intentione consummandi matrimonium, seu violandi votum.—An matrimonio contracto, voti obligatio cesset. “Unde tenetur illud servare, quandiu potest, et in quantum potest.”—Ad quid ergo tenetur post contractum matrimonium. “1.^o Intra bimestre: 2.^o elapso bimestri: 3.^o si conjux consentiat, vel jus petendi amittat: 4.^o si moriatur.”—Quid si aegre abstinere possit. II. *Votum non nubendi, seu votum virginitatis.* An peccet graviter, qui emisso hoc voto, matrimonium contrahit.—An matrimonio contracto, possit reddere et petere debitum.—An possit, mortuo conjuge, novum matrimonium contrahere.—Quomodo dignoscendum sit, an quis virginitatem

seu caelibatum, vel potius castitatem voverit. III. *Votum ingrediendi Religionem*. An qui hoc votum emisit, graviter peccet matrimonium ineundo cum intentione in tali statu permanendi.—Quid si contrahat cum intentione non consummandi matrimonium, et adimplendi votum.—An, matrimonio contracto, cesset obligatio voti. “Unde tenetur votum adimplere, quandiu potest.”—Ad quid ergo tenetur post matrimonium. “1.^o Ante consummationem: 2.^o post consummationem: 3.^o si conjux consentiat, vel jus amittat: 4.^o si moriatur.”—An post consummatum matrimonium possit non solum reddere, sed etiam petere debitum. (3.)—Quid in hisce casibus magis expediat pro praxi. V. *Votum suscipiendi Ordines sacros*. An qui votum illud emisit, peccet graviter contrahendo matrimonium.—An, eo contracto, teneatur votum adimplere. “Quandiu potest: nempe, 1.^o si uxor consentiat: 2.^o si moriatur.”—An teneatur Religionem ingredi ante matrimonii consummationem, ut votum adimplere possit.—An si votum adimplere nequeat, possit matrimonium consummare.

§. II. *De dispensatione impedimentorum impedientium*. Impedimenta matrimonium impedientia, alia sunt *indispensabilia*, utpote á jure naturali inducta, videlicet, sponsalia et consensus parentum: alia á solo *Papa* dispensari possunt, scilicet, disparitas cultus, votum castitatis perpetuae, et votum ingrediendi Religionem: alia denique *Episcopus* seu *Ordinarius* potest dispensare, nempe, banna, tempus, votum non nubendi, votum suscipiendi Ordines, et etiam vota castitatis et Religionis, quoties desinunt esse reservata. *Quaesita*. An *Episcopus* possit aliquando dispensare in voto perfectae castitatis ad contrahendum matrimonium. (Q. 2.)—An dispensare possit post contractum matrimonium ad debitum petendum. (Nota.)—An in voto continentiae, quo alter conjugum post contractum matrimonium se obligaverit.—Quid si uterque conjux ex communi consensu perpetuam continentiam vovisset. (Ibi.)—An *Regulares* ex suis privilegiis dispensare valeant in his votis. (*Resp.* 3. *Nota.*)

LECTIO 13. I.

Art. II. De impedimentis Matrimonium dirimentibus. Impedimenta dirimentia definiuntur solent, quae facienda vetant connubia, et facta retractant. Agendum: 1.^o de horum impedimentorum natura: 2.^o de eorum dispensatione. §. I. *De natura impedimentorum dirimentium*. 1.^o In genere: 2.^o in specie. *Punct. I. De natura impedimentorum dirimentium in genere*. *Principia*. I. An *Ecclesia* habeat potestatem constituendi impedimenta matrimonii non tantum impedientia, sed etiam dirimentia. II. An *Principes saeculares* possint

una cum Ecclesia constituere impedimenta matrimonii dirimentia quoad subditos christianos. “Dicitur *nisi ad effectus mere civiles*; nam successiones, dos, haereditates, aliaque hujusmodi, quae vinculo matrimonii extrinseca sunt, sub potestate saeculari cadunt.” III. Impedimenta dirimentia sunt proprie leges *irritantes*, quae habent pro objecto ipsum contractum invalidandum; ideoque etiam invinciviliter ignorata irritant matrimonium. (Q. 1.) IV. Impedimenta dirimentia matrimonium irritant *legaliter*, id est, ob bonum publicum tum Ecclesiae tum societatis; ideoque urgent etiam in casu incommodi privatorum, non tamen si incommodum fuerit publicum seu commune. (Ibi.) *Quaesita. Circa III.* An incurrantur, licet ignorata, ea quoque impedimenta, quae videntur habere rationem poenae, ut impedimentum *criminis*. *Circa IV.* An impedimenta dirimentia, quae sunt *juris ecclesiastici*, urgeant etiam in casu gravissimi incommodi, v. g. periculi mortis.—An liceat contrahere matrimonium cum impedimento dubio, seu probabili.—An in dubio seu probabilitate *juris divini* seu *naturalis*.—Quid si agatur de probabilitate *facti*.—An liceat conjugibus uti matrimonio, si post nuptias initas dubium de aliquo impedimento oriatur.—An valeat matrimonium contractum cum impedimento putato, sed non existente.—Qui sint praecipui errores circa matrimonium á Pio IX. in Syllabo damnati.

LECTIO 14. I.

Punct. II. De natura impedimentorum dirimentium in specie. Quot, et quatenam impedimenta matrimonium dirimentia numerantur. “Ex his alia *jure naturali*, alia *divino*, alia *jure canonico* instituta sunt. Haec postrema ab Ecclesia sunt constituta vel ut societas conjugalis ineatur inter personas pares, *conditio*; vel ne laedatur reverentia, quam mutuo sibi debent propinqui, *cognatio*, *honestas*, *affinitas*; vel ad delicta praecavenda, *crimen*; vel ad matrimonii libertatem tuendam, *raptus*; vel ad muniendam legitimitatem, *clandestinitas*; vel ad ejus sanctitatem fovendam, *disparitas cultus*; vel denique ad dignitatem status ecclesiastici servandam, *votum*, *ordo*. De singulis seorsim.

I. ERROR. “Error; qua matrimonii impedimentum, definitur: *Inhabilitas ad contrahendum orta ex errore circa personam, vel circa ejus qualitatem substantialem*. Error multiplex: 1.^o *Personae*, et *qualitatis*. 2.^o *Qualitas* vel est *substantialis*, vel *accidentalis*. 3.^o Error dicitur *antecedens*, quando est causa volendi, ita ut quis ex errore vult, quod alias non vellet; et *concomitans*, quando, secluso errore, etiam idipsum vellet. *Qualitas* censetur *substantialis* in triplici casu: 1.^o si *qualitas* est *conditio*, *sub*, qua praestatur con-

sensus: 2.^o si qualitas est *determinativa* personae, adeo ut non determines personam, nisi ex indicio et nota illius qualitatis; v. g. si crederes te contrahere cum primogenita regis: 3.^o si consensus feratur *directe et principaliter* in qualitatem, et minus principaliter in personam, uti si quis dicat, volo virginem, et ideo Titiam. *Principia*. I. Error sive *antecedens* sive *concomitans* circa personam vel circa ejus qualitatem substantialem, matrimonium efficit nullum de jure naturali. Ratio, quia deficit consensus circa objectum contractus. II. Error purae qualitatis non irritat. *Resolves*.

II. CONDITIO. Conditio definitur: *Inhabilitas ad contrahendum orta ex servitute stricte sumpta á parte libera ignorata*. Dicitur: 1.^o *ex servitute stricte sumpta*, quia non de famulatu: 2.^o *á parte libera*, quia hoc impedimentum valet tantum quoad matrimonium liberi cum servo: 3.^o *ignorata*, quia si liber sciat conditionem, valet matrimonium. *Principium*. Error circa conditionem matrimonium dirimit de jure ecclesiastico, et non naturali, quia est error *purae qualitatis*.

III. VOTUM. Votum impedimentum dirimens definitur: *Inhabilitas ad contrahendum orta ex voto solemnii castitatis per professionem in Religione approbata emisso*. *Principia*. I. Votum dirimit matrimonium saltem de jure ecclesiastico, ut constat ex Tridentino. Utrum etiam de jure naturali, quaestio est. II. Quaenam conditiones requirantur, ut votum solempne matrimonium dirimat. *Quaeres*. An Papa possit dispensare in voto solemnii ad matrimonium contrahendum. (Q. 1.)

IV. ORDO. Definitur: *Inhabilitas ad contrahendum orta ex susceptione Ordinis sacri*. Quo jure dirimat matrimonium.—Quaenam conditiones requirantur, ut Ordo matrimonium dirimat.

LECTIO 15. I.

V. COGNATIO. Cognatio in genere est propinquitas seu vinculum personarum. Qua impedimentum, definitur: *Inhabilitas ad contrahendum orta ex propinquitate personarum*. Triplex distinguitur: *naturalis*, quae á natura seu sanguine; *spiritualis*, quae ex Sacramento; et *legalis*, quae ex lege exurgit. Seorsim.

n. 1.^o *De cognatione naturali*. Cognatio naturalis oritur ex conjunctione viri et mulieris. Distinguitur in *consanguinitatem* et *affinitatem*. De hac infra. Consanguinitas est propinquitas personarum ab eodem stipite proxime descendentium per carnalem generationem.—Quaenam in consanguinitate distinguenda sint.—Quid intelligatur *stipes*.—Quid est *gradus*.—Quid dicitur *linea*.—Quotuplex linea distinguitur.—Quid est *linea recta*. “Et haec duplex: *ascendens*, qua nempe ascenditur ad progenitores patrem et matrem, inde ad

avum et aviam; et *descendens*, qua descenditur ad progenitos, nempe, ad filium et filiam, inde ad nepotem et neptem.—Quid est *linea collateralis* seu *transversalis*„. Et haec iterum duplex: *aequalis* et *inaequalis*.—Quomodo computantur consanguinitatis *gradus*.—Quid in jure civili. Rursum consanguinitas potest esse vel *simplex*, si ex uno tantum stipite procedat; vel *multiplex*, si ex duobus aut pluribus; vel denique *mixta* cum affinitate. Consanguinitas fit multiplex ex triplici capite, nempe: 1.^o si quis ex consanguinea sua susceperit liberos, hi utriusque parentis et filii et nepotes, ipsi vero et fratres et consobrini sunt: 2.^o si quis ex uxore sua, et uxoris suae consanguinea habuerit liberos, hi erunt fratres consanguinei, et consobrini: 3.^o si duo consanguinei ex duabus consanguineis procreaverint liberos, alter ex his erit alterius et frater et patruus. Denique cognatio fit mixta ex consanguinitate et affinitate, si quis consanguineae suae commisceat; ex hoc enim qui ipsi consanguinei sunt, incipiunt esse affines. *Principia*. I. Quando seu in quo gradu consanguinitas *in linea recta* dirimat matrimonium. II. Quandonam consanguinitas *in linea laterali*, sive aequali sive inaequali. III. An consanguinitas ex parte patris vel matris tantum. An inter illegitimos. IV. Quando consanguinitas est *multiplex* vel *mixta* dantur tot impedimenta, quot sunt vincula consanguinitatis et affinitatis. *Quaesita*.—Quo jure consanguinitas in praedictis gradibus matrimonium dirimat.—Quomodo inveniri facile possint gradus consanguinitatis.—Quinam sint consanguinei *in linea recta*.—Quinam *in linea collateralis*.

n. 2. De cognatione spirituali.—Quid est cognatio spiritualis. “Inducta est jure canonico, quia Baptismus est quaedam generatio spiritualis, et Confirmatio ipsius Baptismi complementum: unde sicut ex generatione carnali oritur cognatio naturalis, ita ex generatione spirituali congruum fuit, ut Ecclesia deduceret cognationem spiritualem.—*Principia*. I. Cognatio spiritualis contrahitur, ideoque matrimonium dirimit: 1.^o inter baptizantem, (vel confirmantem) et baptizatum, (vel confirmatum), ejusque patrem et matrem: 2.^o inter paternos et baptizatum (vel confirmatum), ejusque parentes naturales, etiam illegitimos. En versus:

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes:

Levans, levatus, levatique parentes.

Neque inter alios contrahitur; adeoque nec á conjuge seu baptizantis seu patrini; nec inter paternos et baptizantem; nec inter ipsos paternos. II. Hujus quoque cognationis duplex est quasi *linea recta*, quae complectitur genitores et genitum; nempe, baptizantem, nec non paternos et baptizatum: *obliqua* seu *lateralis*, quae complectitur genitores spirituales et naturales; videlicet, baptizantem et paternos, qui conjunguntur, non inter se, sed parentibus baptizati. Cognatio *in linea recta* dicitur *paternitatis* et etiam *primae speciei*;

altera *compaternitatis* seu *secundae speciei*. III. Sicut cognatio naturalis haec quoque *multiplex* esse potest. Multiplicatur autem, non ex personis, v. g. si plures Petri filios in Baptismo tenueris; sed vel ex Sacramentis, uti si Paulum in Baptismo et Confirmatione levaveris, vel si duo invicem alter alterius filios tenuerint. IV. Denique cognatio haec non contrahitur nisi inter fideles; et quoad patrilos requiritur, ut sint proprie tales; id est: 1.^o rationis compotes: 2.^o legitime designati: 3.^o baptizatum tenentes: 4.^o cum animo agendi munus patrini, non vero contrahendi cognationem. *Quaesita*. An contrahant cognationem, qui officium patrini exercent in supplendis Baptismi ceremoniis.—An patrini designati á parentibus, et á Parocho reprobati.—An qui in casu necessitatis privatim baptizavit.—An patrini adhibiti in Baptismo privato.—An qui baptizatum physice non tangunt.—An parentes filios baptizantes in necessitate vel bona fide.—Quid si baptizent, seclusa necessitate, et ex industria, id est, animo cognationem contrahendi, ut liberentur á reddendo debitum.

n. 3. De cognatione legali.—Quid est cognatio legalis. “Adoptio definitur: *Assumptio personae extraneae in filium vel nepotem*.. Duplex distinguitur: *perfecta et imperfecta*. *Principia*. I. Quo jure cognatio legalis seu adoptio matrimonium dirimit. II. In adoptione triplex distinguitur linea: recta, quae dicitur *paternitas*; lateralis, quae dicitur *fraternitas*; et alia, quae dicitur *affinitas*. Prima dirimit inter patrem et filium; secunda inter fratres; postrema inter affines. *Quaesita*. An cognatio legalis matrimonium dirimat usque ad quartum gradum inter adoptantem et descendentes adoptati, aut vice-versa.—An adoptio imperfecta dirimat matrimonium.

LECTIO 16. I.

VI. AFFINITAS. Quid est affinitas. “Videndum est: 1.^o quomodo: 2.^o á quibus et cum quo contrahatur: 3.^o quotuplex esse possit. *Quomodo*. Affinitas contrahitur, non ex nuptiis, sed ex copula carnali, qua vir et mulier fiunt una caro, sive copula sit licita seu conjugalis, sive illicita seu fornicaria; etiam cum muliere invita, vel ebria, vel durmiente. *A quibus et cum quo*. Omnes et soli consanguinei viri fiunt affines mulieri, sed ei tantum; et ex diverso omnes et soli consanguinei mulieris fiunt affines viro, sed ei solum. *Soli consanguinei*, non item affines seu viri seu mulieris; quia affinitas non parit affinitatem. *Mulier tantum, vel tantum viro*; quia affinitas non egreditur copulatos. Neque personae, quae carnaliter cognoscuntur, sunt proprie inter se affines, sed sunt principium affinitatis, et quasi stipis locum tenent. Hinc *Resolves* 2.^o 3.^o 5.^o 7.^o *Quotuplex*. Affinitas, sicut et cognatio, potest esse *simplex, multiplex, et mixta*. Multipli-

catur, non ex actibus, sed ex personis, uti si quis ad duas feminas fuerit ingressus, non vero si ad eandem pluries: et fit *mixtu*, quando quis rem habet cum consanguinea, ut dictum est supra. Denique affinitas contrahitur inter ipsos conjuges, quoties alteruter peccat cum consanguinea alterius. *Principia*. I. Quando, seu in quo gradu affinitas dirimat matrimonium.—Quomodo gradus affinitatis computantur. (R. 4.) II. Qualis debeat esse copula, ut affinitatem inducat.—Quae regulae valere debent pro praxi. (Nota.) III. An affinitas inter conjuges contracta dirimat matrimonium.—An hoc impedimentum se extendat usque ad quartum gradum. *Quaesita*. Circa I. Quo jure dirimat affinitas.—Quinam sint varii affines. An affinitas ex matrimonio consummato, sed invalido, dirimat ad quartum gradum. Circa III. An conjux, qui peccavit cum consanguinea in secundo gradu compartis suae, debitum reddere teneatur (R. 6.)—Quid si uterque conjux cum consanguinea alterius peccaverit. (R. 8.)—An uxor, vi aut metu cognita á consanguineo viri, jus debitum petendi amiserit.—An affinitas contrahatur ab infidelibus seu non baptizatis. (Nota.)

VII. HONESTAS. Definitur: Propinquitas personarum orta ex sponsalibus validis, vel ex matrimonio rato, et non consummato. Differt ab affinitate, quia affinitas oritur ex conjunctione viri et mulieris *corpore*, id est, per copulam carnalem; honestas autem ex conjunctione viri et mulieris *animo*, id est, per sponsalia vel matrimonium ratum. Matrimonio per copulam consummato, honestas transit in affinitatem, neque aliud impedimentum parit. Honestas contrahitur inter sponsum et consanguineos sponsae, et inter sponsam et consanguineos sponsi, illegitimos quoque: verum *soli cum solis*, uti affinitas. Etiam multiplicatur *ex personis*, uti si quis vel duo sponsalia, vel duo matrimonia inierit. *Principia*. I. Quando seu in quo gradu publica honestas dirimat matrimonium. II. Quo jure dirimat. *Quaesita*. An publica honestas oriatur ex sponsalibus conditionatis.—An ex sponsalibus validis, sed justa de causa dissolutis.—An ex sponsalibus privatis. (Lect. 1.^a Art. I.)—An ex matrimonio invalido.—An dentur aliquae exceptiones, et quae.—An oriatur ex matrimonio civili. “Negative.”. (Nota.)

LECTIO. 17. I.

VIII. CRIMEN. Crimen, uti impedimentum matrimonii, definitur: *Inhabilitas ad contrahendum orta ex aliquo crimine in jure canonico expresso*. Crimina in jure expressa duo numerantur: *adulterium et homicidium conjugis*, sive seorsim, sive conjunctim: unde triplex casus datur; videlicet, adulterium sine homicidio, homicidium sine adulterio, et utrumque simul; qui quidem sub hac formula exprimi

solent, *nemine patrante, utroque patrante, et uno patrante.*

I. *Nemine patrante*, id est, *adulterium sine homicidio*. Ad impedimentum ex hoc crimine incurrendum tria requiruntur: 1.^o *adulterium*, et quidem verum, formale ex utraque parte, et consummatum: 2.^o *promissio* futuri matrimonii, vel *attentatio* matrimonii de praesenti, (Nota.); et siquidem promissio talis esse debet, quae alias sufficeret ad contrahenda sponsalia; nempe, vera, non propositum; ex animo, non ficta; pura, non conditionata, nisi conditio purificetur ante conjugis mortem; acceptata, et probabiliter mutua. *Attentatio* autem fieri debet cum cognitione ex utraque parte prioris conjugii. 3.^o requiritur, ut tum *adulterium*, tum *promissio* sive *attentatio* fiant *constante eodem matrimonio*.

II. *Utroque patrante*, id est, *homicidium sine adulterio*. Ut ex hoc crimine adsit impedimentum, tria haec requiruntur: 1.^o *homicidium* conjugis, seu mulieris seu viri, sive ex actione physica *per se*, sive morali *per alium* occidendo; attamen homicidium debet esse consummatum, ita ut mors realiter sit secuta. 2.^o *mutua conspiratio* seu *machinatio*, etiam solo mandato vel consilio; at non sufficit, quod quis audiens conjugis occisionem jam patratam, eam approbet, ac ratam habeat: 3.^o *Intentio contrahendi* matrimonium cum socio uxoricida; et quidem exterius manifestata, et juxta aliquos, ipsi socio cognita. (Nota.)

III. *Uno patrante*, id est, *adulterium et homicidium simul*. Ad quod impedimentum tria pariter in jure requiruntur: 1.^o *adulterium*, ut supra: 2.^o *homicidium*, ut supra; sed sine mutua conspiratione: 3.^o *Intentio* machinantis contrahendi matrimonium cum socio adultero, quae intentio *probabiliter* debet esse socio manifestata. *Quaesita*. An hoc impedimentum *criminis* possit esse multiplex.—An locum habeat inter infideles. (Nota.)

LECTIO 18. I.

IX. CULTUS DISPARITAS. Generice sumpta est diversitas religionis inter contrahentes, Dicitur *propria*, quando unus tantum est baptizatus; et *impropria*, quando uterque, sed unus est catholicus alter acatholicus. Utraque propter periculum perversionis matrimonio obstat, sed diverso modo; nam illa dirimit, haec impedit. Seorsim.

n. 1. *De disparitate cultus proprie dicta*. Disparitas cultus *proprie dicta*, prout est impedimentum matrimonii, definitur: *Inhabilitas ad contrahendum inter personas, quarum una est baptizata, altera non*. *Principia*. I. An cultus disparitas inter baptizatum et infidelem dirimat matrimonium. II. Quo jure dirimat. (Q. 1.) III. Certum est soli R. Pontifici competere facultatem dispensandi ab hoc impedimento. Pluries tamen facultas dispensandi in matrimoniis christiano-

rum cum infidelibus penes nationes barbaras facta est Episcopis ac Missionariis apud illas gentes. (Q. 2. Nota.) IV. Conditiones servandae in dispensationibus quoad matrimonia inter christianos et infideles, sunt sequentes. 1.^o ut absit periculum perversionis: 2.^o ut proles instituatur in christiana religione: 3.^o ut dispensetur solum in locis, ubi plures sint infideles, quam christiani. 4.^o ut gravibus tantum de causis. 5.^o ut spes probabilis affulgeat de conversione contrahentis infidelis. (Q. 3. Nota.)

n. 2. *De disparitate cultus improprie dicta, seu de matrimoniis mixtis.* Matrimonia *mixta* dicuntur, quae celebrantur inter baptizatos, quorum unus est catholicus et alter acatholicus. *Principia.* I. An diversitas religionis seu cultus inter baptizatos constituat impedimentum dirimens. (P. II.) II. Diversitas religionis seu cultus inter baptizatos constituit impedimentum impediens matrimonii; quia hujusmodi matrimonia mixta sunt graviter improbata jure naturali et divino ratione periculi perversionis, atque jure ecclesiastico penitus interdicta. (P. III.) III. Quibus competit facultas á tali impedimento impediendi dispensandi. (Q. 2.) IV. Quibusnam conditionibus dispensatio praefata concedatur. (Q. 3.) V. Dispensatione obtenta, et ejus clausulis servatis, Parochus matrimoniis mixtis assistere potest; attamen: 1.^o extra Ecclesiam, sub qua Sacristia comprehenditur: 2.^o sine benedictione, et sine vestibus sacris: 3.^o nec possunt fieri bannorum proclamationes. (Q. 5. 6. 7.) VI. Denique si matrimonium contrahatur sine dispensatione, vel, hac obtenta, pars haeretica nolit consentire in catholicam educationem proles, Parochus debet se abstinere á quocumque interventu. Item et á fortiori, si sponsi ante vel post, matrimonium contrahant in ecclesia protestantica, ritu protestantico. (Q. 8. 9. 11.) Nihilominus matrimonia mixta ita contracta, omnibus posthabitis, valent. (Q. 4.) *Quaesita.* An catholicus has nuptias sine dispensatione contrahens, postea volens Sacramentorum particeps fieri, ad ea admitti possit. (Q. 10.)—An protestantes degentes in locis, ubi Baptisma dubium et suspectum est, tamquam infideles sint habendi. (Q. 12.)—Quid igitur videtur statuendum.

LECTIO 19. I.

X. VIS SEU METUS. Vis seu metus, qua impedimentum, definitur: *Inhabilitas ad contrahendum, vel proprius, nullitas matrimonii orta ex vi aut metu gravi, injuste illato á causa libera extrinseca ex fine extorquendi consensum.* Unde ad hoc, ut matrimonium ex vi aut metu contractum, sit invalidum, quatuor requiruntur et sufficiunt conditiones. *Principia.* I. Quo jure vis aut metus dirimit matrimonium. II. An metus levis, etiam injustus, dirimat.—Quid in dubio, an metus cen-

sendus sit gravis vel levis. (Nota.) III. Metus gravis et injustus dirimit matrimonium, etiamsi metum passus revera consentiat; quod etiam de vi seu coactione est intelligendum. IV. Impedimentum hoc, dispensationem non admittit; sed necesse est, ut causa metus tollatur, qua sublata, matrimonium convalidatur, posito novo et prorsus libero consensu, (Nota.)

XI. **LIGAMEN.** Definitur: *Inhabilitas ad contrahendum orta ex matrimonio valido semel contracto, et quoad vinculum non dissoluto.* *Principium.* Impedimentum *ligaminis* certo dirimit matrimonium jure tum ecclesiastico tum divino, et probabilius etiam jure naturali. *Quaesita.* An valide contrahat, qui novas init nuptias credens bona fide, sed falso, conjugem esse mortuum.—An vel qualis certitudo de morte conjugis requiratur, ut quis novum matrimonium contrahere valeat.—Quae argumenta á jure uti insufficientia habentur.—An possit Episcopus, remanente dubio, matrimonii celebrationem permittere.—An matrimonium cum dubio de morte conjugis contractum, sit validum.

XII. **AETAS.** Qua impedimentum matrimonii, definitur: *Inhabilitas ad contrahendum orta ex defectu aetatis á jure requisitae.*—Quaenam aetas in jure requiratur.—An in aliquo casu valide contrahant matrimonium, qui sunt impuberes aetate.—An é contra validum sit matrimonium eorum, qui, completa pubertate legali, impuberes sunt viribus corporis. (Nota.)—Quo jure *aetas* matrimonium dirimat.—An Papa, possit dispensare ad matrimonium contrahendum ante aetatem pubertatis. (Nota.)

LECTIO 20. I.

XIII. **CLANDESTINITAS.** Quid dicitur matrimonium clandestinum *strictè tale.* “Unde clandestinitas definitur: „ *Inhabilitas ad contrahendum orta ex defectu solemnitatis ab Ecclesia requisitae, nempe, assistentiae Parochi et duorum saltem testium.* Quo jure clandestinitas dirimat matrimonium, et á quo tempore. Agendum: 1.^o de vi Decreti Conc. Tridentini: 2.^o de assistentia Parochi: 3.^o de assistentia testium.

n. 1. *De vi Decreti. Principia.* I. Matrimonia *clandestina* sunt omnino invalida in locis, ubi Concilii Decretum fuit promulgatum. Constat ex verbis Concilii.—Ubinam agnoscitur ut receptum Tridentini Decretum. II. Matrimonia *clandestina* invalida non sunt in locis, ubi promulgatio Decreti sive culpabiliter sive inculpabiliter fuit ommissa.—Ubinam Tridentini Decretum non est receptum. III. Matrimonia *clandestina* sunt ubique illicita. *Quaesita.* An valeat matrimonium eorum, qui discedentes ex loco ubi receptum est Decretum Tridentini, contrahunt in loco ubi non est receptum.—Quid si discedant, non cum fraude, at simul sine intentione domicilium aut quasi domicilium ibidem figendi. (Nota.)—An valeat matrimonium eorum, qui disce-

dentes ex loco ubi non viget Decretum, contrahunt clandestine in loco ubi viget.—An valide contrahunt clandestine sponsi, quorum unus habet domicilium in loco ubi receptum est Decretum, et alius ubi non est receptum.—An excuset ab impedimento clandestinitatis impotentia ad proprium Parochum vel Episcopum recurrenti.—An sponsi debeant coram alio Sacerdote contrahere, si facile possint, quando ad proprium Parochum recurrere nequeunt (Q. 7.) An conjuges, qui deficiente Parocho clandestine contraxerunt, ad benedictionem, data opportunitate, accipiendam teneantur. (Q. 8.) An censeantur valida matrimonia clandestina haereticorum, ubi viget lex Tridentini. (Q. 5.)—An Decretum Trid. vigere censeatur in Ecclesia recenter formata apud haereticos vel infideles.

n. 2. *De assistentia Parochi.* (a) Qualis: (b) quomodo assistere debeat. (a) *Qualis Parochus assistere debet matrimonio. Principia.* I. Parochus intelligitur ille, cui cura animarum commissa est, etiam ad tempus, uti Vicarius seu Oeconomus supplens vices Parochi defuncti vel impediti. II. Ille solus Parochus matrimonio *valide* assistit, qui est *proprius* Parochus alterius contrahentium, sive sponsi sive sponsae. Et valide assistit vel per se vel per alium, etiam in aliena parochia vel in aliena dioecesi, invito quoque ejus loci Parocho aut Episcopo. Verum, quia aequum non est ut sponsa paternam domum deserat, nisi jam conjuncta viro, jus est ut solus Parochus sponsae *licite* assistat. III. Parochus *proprius* intelligitur, non Parochus *originis*, sed *habitationis*, id est, domicilii vel quasi-domicilii contrahentium, vel eorum alterius in sua paroecia. IV. Domicilium in aliquo loco acquiritur per *factum* habitationis cum *animo* hic et nunc illic perpetuo manendi; et acquiritur ipso primo habitationis die. Ad quasi domicilium requiritur etiam *factum* habitationis, non per transitum et obiter, sed cum *animo* manendi ibi majorem saltem anni partem; et, his positis, nempe, *facto* et *voluntate*, quasi-domicilium statim acquiritur. V. Denique, qui in aliquo loco domicilium á multo tempore fixit, dicitur *incola*; qui recenter domicilium vel quasi-domicilium inchoavit, vocatur *advena*; qui eo loco versatur obiter et quasi praeteriens, *peregrinus*; et qui nullibi sedem fixam habet, *vagus* dici solet. *Quaesita.* *Circa* I. An matrimonio valide assistere possit Parochus suspensus, irregularis, excommunicatus aut schismaticus. (Q. 3.) An Sacerdos, qui falso Parochus existimatur.—An Sacerdos quilibet cum licentia *praesumpta* Parochi.—An Coadjutor Parochi, seclusa hujus delegatione (Q. 6.)—An Vicarius seu Oeconomus possit alium subdelegare ad assistendum matrimonio. (Ibi) *Circa* II. Quodnam tempus requiratur, ut aliquis advena possit in loco non suo matrimonium contrahere (Q. 1.)—Quid si habitatio per unum mensem in aliquo loco fiat recreationis aut rusticationis gratia— An vagi contrahere possint coram quolibet Parocho.

(b) *Quomodo Parochus assistere debeat. Principia.* I. Quid requiritur et sufficit, ut Parochus matrimonio assistere censeatur II. Quid requiritur et sufficit, ut censeatur moraliter praesens, ut testis. "1.^o Testis debet *scire*, non item *velle*; ideo Parochus uti testis censeatur, licet adsit casu, aut inductus dolo, aut vi coactus. 2.^o Scire hic est *animadvertere* aut *intelligere* virum et mulierem matrimonium contrahere; et hac re necesse est ut interpelletur et moneatur de eo, quod agere volunt contrahentes, seu ut sit ab eis adhibitus. 3.^o Parochus, revera praesens et interpellatus, reputatur testis, licet fingat se non advertere vel intelligere, dummodo *exactibus antecedentibus et subsequentibus perceperit consensum partium.* 4.^o Denique testis intelligitur, quando praesens et interpellatus, nihil viderit nec audiverit, *quia videre aut audire noluit, cum facile videre aut audire potuisset.* III. Quo in loco Parochus vel Sacerdos ab eo deputatus matrimonio assistere debeat. (Q. 2.) *Quaesita.* An sufficiat praesentia Parochi mere physica—An necesse sit, ut Parochus videat et cognoscat contrahentes—An in omni casu sponsis dari possit aut debeat benedictio.

n. 3. *De testibus.* (836.) *Principia.* I. Testes duo saltem esse debent II. Quilibet testes adhiberi possunt, sive mares sive feminae, sive aetate majores sive minores, infames, moniales, parentes, dummodo sint natura idonei. III. Requiritur ut sint praesentes moraliter, et moniti sive interpellati, uti dictum est de Parocho; sed sufficit ut intelligant et advertant, ut supra.

LECTIO 21. I.

XIV, IMPOTENTIA. Definitur: *Inhabilitas ad contrahendum orta ex incapacitate ad actum conjugalem, nempe, ad copulam carnalem ex se aptam ad generationem.* Dicitur: 1.^o *ad copulam*, et non *ad generationem*, quia aliud est *impotentia* et aliud *sterilitas*: steriles enim, si sint copulae capaces, valide contrahunt. (R. 4.) 2.^o Dicitur *incapacitas*; quia qui veram habent potentiam, licet impeditam, uti impuberes, moribundi, sunt habiles. Impotentia oriri potest, vel ex privatione membrorum, (R. 1.) vel ex eorum improportione, vel ex frigidityte, vel ex maleficio.—Quotuplex impotentia distinguitur. Quaestio duplex, 1.^a an et quando impotentia dirimat matrimonium; 2.^a quid agendum, si impotentia post contractum matrimonium manifestetur certo vel dubie. Quaestio prima. *Principia.* I. Quoad impotentiam *antecedentem* et *perpetuam*. II. Quoad impotentiam *antecedentem* et *temporalem*. III. Quoad impotentiam *consequentem* (P. II.) Quaestio secunda. *Principia.* I. Impotentia *consequens*, si sit *perpetua* et *certa*, illicitum reddit matrimonii usum, etiam solummodo attentatum. II. Si talis impotentia, *certa* et *perpetua*, fuerit antece-

dens, conjuges separari debent, quia invalidum fuit matrimonium: verum auctoritate et sententia judicis ecclesiastici. III. In dubio de impotentia *antecedenti*, standum est pro valore actus, et licitum est conjugibus copulam experiri per triennium. Verum si, elapso triennio, impotentia perseveret, perpetua judicatur, et tunc interdicitur experimentum copulae, cum sponsi habeantur ut soluti. IV. In dubio de impotentia *consequenti*, licet pariter conjugibus experiri per triennium, usque dum certi sint eam perfici nullo modo posse; et ex tunc experimentum cessare debet. V. Judicium ferre de impotentia pertinet ad solum Judicem ecclesiasticum, qui audire debet medicos et obstetrices, quorum praescriptiones sponsi servare tenentur, nisi forte valde molestae sint aut dolorosae. VI. Confessarius in re adeo gravi caute procedere debet: 1.^o in interrogando: 2.^o in praemonendo: 3.^o et maxime in ultimo respondendo.

XV. RAPTUS, Quid est raptus, impedimentum matrimonii. “Ad hoc impedimentum incurrendum tria requiruntur;

1.^o *Ut mulier abducatur de loco tuto in alium, ubi sub potestate raptoris detineatur.* Unde raptus non intelligitur: 1.^o si mulier rapiat virum. (R. 3.^o) 2.^o si mulier abducatur tantum de cubiculo in cubiculum in eadem domo, (R. 1.) 3.^o si reddita fuerit in loco tuto extra potestatem raptoris. (R. 4.)

2.^o *Ut mulier abducatur violenter, seu invita, id est, vi illata, sive physica, ut ecce metu incusso, sive morali, uti fraude et dolo: neque interest utrum raptor per se vel per alios vim adhibeat.* Itaque cessat raptus: 1.^o si mulier abductioni consentiat, quod dicitur *fuga*: 2.^o si tantum compulsa precibus aut blanditiis, quod *raptum seductionis* vocatur. (Q. 1.)

3.^o *Ut mulier abducatur matrimonii ineundi causa, et quidem cum raptore.* Et ex hoc capite non adest impedimentum: 1.^o si mulier abducatur alia de causa, v. g. ex fine libidinis explendae. (R. 2.): 2.^o si etiam causa matrimonii, sed non cum ipso raptore, sed cum alio.

Principia. I. Raptus dirimit matrimonium inter raptorem et raptam, quandiu haec in potestate raptoris manserit, etsi postea mulier ultro ac libenter matrimonium ineat. Ita ex Tridentino: “*Decernit S. Synodus inter raptorem et raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium.*” II. Hoc impedimentum, si mulier libere consentiat in contrahendo, dirimit tantum jure ecclesiastico, et in his locis ubi Concilium Tridentinum viget. *Quaeres.* An valeant sponsalia contracta, dum mulier rapta sub potestate raptoris versatur.

LECTIO 22. I.

§. II. *De dispensatione impedimentorum matrimonium dirimentium.*
“Impedimenta dirimentia in ordine ad eorum dispensationem, possunt ad tres classes revocari: 1.^o Una eorum, quae dispensationem non recipiunt, sive quia dispensari non possunt, et sunt consanguinitas in primo gradu lineae tum rectae tum obliquae, ligamen post consummatum matrimonium inter fideles, et impotentia; sive quia dispensari non solent, et sunt votum, ordo, affinitas ex copula licita in primo gradu lineae rectae, crimen publicum, et disparitas cultus proprie dicta. 2.^o Altera eorum, quae dispensatione non egent, nempe, error, conditio, vis seu metus, clandestinitas, et raptus. 3.^o Postrema eorum, quae et dispensationem recipiunt, et dispensari solent, scilicet, cognatio, affinitas, publica honestas, crimen *nemine patrans*. Itaque, illis omissis, de his, quae dispensari solent, agendum est: et 1.^o de potestate dispensandi: 2.^o de causis dispensationis: 3.^o de proponendis in supplici libello: 4.^o de modo petendi dispensationem: 5.^o de modo dispensationem exequendi. Seorsim.

Punt. I. De potestate dispensandi. Principia. I. Ecclesia gaudet potestate dispensandi. II. Papa dispensare potest ab omnibus impedimentis juris ecclesiastici. III. Episcopi *jure ordinario et proprio* non possunt dispensare in impedimentis dirimentibus. IV. Episcopi vel *ex delegatione* vel *ex praesumpta intentione R. Pontificis* in impedimentis dirimentibus aliquando dispensare solent. *Ex delegatione*, quoties haec potestas eis concessa est nominatim. *Ex praesumpta R. Pontificis intentione* dispensant in impedimentis occultis, quoties adest difficilis recursus et periculum in mora. Itaque, ante contractum matrimonium, si celebratio differri nequeat sine periculo infamiae vel sine damno valde gravi: post contractum matrimonium, si separatio fieri nequeat sine gravi infamia, et dispensatio differri non possit sine periculo incontinentiae. Verum necesse est praeterea ex Tridentino, ut matrimonium *non scienter*, id est, inscio impedimenti saltem alterutro conjuge, *nec spretis publicationibus* initum fuerit. V. Insuper *ex natura ipsius impedimenti* Episcopi dispensare possunt in impedimentis dubiis, sive dubio *juris* sive *facti*, v. g. in impedimento affinitatis, si dubitetur an copula fuerit consummata, necne. VI. Denique potestas haec, quae ex praesumpta R. Pontificis voluntate, vel ex natura impedimenti competit Episcopis, dignitati et officio cohaeret; ideo et Vicario Capitulari competit, et ab ipso potest delegari: non item convenit Vicario Generali Episcopi, quippe extraordinarium aliquid est. *Quaesita.* An Metropolitanus possit dispensare cum subditis suffraganeorum suorum in casu necessitatis vel indulti.—An si sponsi sint diversae dioecesis, dispensatio

obtinenda sit ab utroque Episcopo, si uterque facultate dispensandi gaudeat.

Punct. II. De causis dispensationis. “Causa dispensationis est ratio, quae in petitione offertur ad impediementi dispensationem obtinendam. Dicitur *motiva*, quae movet Superioris voluntatem, ut dispensationem concedere velit, ita ut, illa non extante, non vult: et *impulsiva*, quae juvat, ut dispensatio facilius concedatur. Illa est vera conditio, *sine qua non*; haec vix causae nomen meretur. Causa motiva potest esse *gravis* vel *levis*; et tum motiva tum impulsiva vel est *vera* vel *falsa*. Quae autem sint causae motivae dispensationis impediementorum determinatur *ex jure*, et sequentes recensentur:

Aetas, paupertas, servare pacemque honores,

Scandalum vitandum, periculum haeresis,

Angustia loci, et merita oratoris. (Q. 1.)

Est et alia causa, quae dici solet *causa sine causa*, nempe, largior eleemosyna; et datur quando dispensatio conceditur sine ulla ex his causis à jure statutis. Causa *scandalum vitandum*, sub qua intelligitur *copula carnalis, et infamia mulieris, seu nimia partium familiaritas*, dicitur causa *famosa*; ceterae *honestae* appellantur.

Principia. I. Dispensationes matrimoniales sine *vera causa motiva*; et quidem *gravi* concedi non solent. Ratio est, quia alias Superior illicite dispensaret, quod non est praesumendum. II. Aliquando contingit, ut una causa seorsim sumpta non sit sufficiens, sed alteri juncta *gravis* reputetur, et proinde sufficiens. III. Ceterum, ut licite concedatur dispensatio, non requiritur absolute ut causa prolata sit in jure expressa; sed satis est ut, omnibus perpensis, matrimonium videatur necessarium, sive ad procurandam salutem Oratorum, sive ut avertatur ab eis aliquod grave damnum. Hinc causa sufficiens esse potest matrimonium civiliter contractum, vel periculum ne contrahatur, vel etiam periculum matrimonii *mixti*. (889-2)

LECTIO 23. I.

Punct. III. De proponendis in supplici libello. “Dispensationes matrimoniales per *Rescripta* concedi solent. Rescriptum est: „*Responsum Principis scriptum*. Porro ut Rescriptum valide impetrari possit, praeter habilitatem petentis, requiritur ut petitio neque *subreptione* neque *obreptione* laboret. Subreptio in genere dicitur *reticentia veri*; obreptio *expressio falsi*. Insuper dispensatio duplici modo concedi intelligitur: 1.^o *in forma gratiosa*, si is, qui rescribit, gratiam ipse concedit: 2.^o *in forma commissoria*, si alteri committit facultatem gratiam concedendi. *Principia. Circa obreptionem.* I. Ut aliqua dispensatio matrimonialis sit valida, absolute requiritur,

ut causa *motiva* proposita in supplici libello non sit falsa, quod dicitur *obreptio*. Ratio est, quia in quovis Rescripto, sive expresse sive tacite, semper ea clausula inest: *Si vera sint expressa*. II. Quoties in supplici libello plures proponuntur causae, si omnes sint motivae, et nec una quidem sit vera, dispensatio invalida censetur. Quod si vera sit una causa *motiva*, licet ceterae, sive motivae sive impulsivae, sint falsae, dispensatio valet. III. Causa adesse debet eo tempore, quo gratia conceditur. Quamobrem, si dispensatio sit *in forma gratiosa*, causa subesse debet cum ipse Superior rescribit; si autem *in forma commissoria*, cum ipse mandator dispensat. *Quaesita*. An valida censenda sit dispensatio in dubio, an causa falso allegata fuerit *motiva* aut *impulsiva*, vel an vera aut falsa. (688.)—An cessante causa dispensationis, cesset dispensatio, v. g. si mortua fuerit proles per matrimonium legitimanda. (Q, 4.)

Principia. Circa subreptionem. I. Ad validitatem dispensationis necesse est, ut in supplici libello ea omnia exprimantur, quae vel ex jure vel ex inconcusso Curiae stylo declarari debent. II. Quae nam sint necessario exprimenda sub poena invaliditatis in petitione dispensationis. (867.) En versus:

*Causa movens, ipsumque genus, species, numerusque,
Linea, qui gradus, et si copula jam potitus.*

Et haec in genere, id est, in qualibet petitione dispensationis, sive matrimonium initum fuerit, sive non. Verum post contractum matrimonium dispensatio non facile conceditur eis, qui illud in gradu prohibito *scienter*, vel *neglectis publicationibus* contrahere, eoque minus eis, qui illud *consummare* praesumpserint: quare, ne subreptitia sit dispensatio, omnia exprimi debent. III. Nunc usque in petitione exprimenda erant tum copula incestuosa, tum *mala fides*, id est, si copula fuerit habita sub spe dispensationis obtinendae; quorum alterutro reticito, dispensatio subreptitia erat. Verum ex Litteris S. S. Papae Leonis XIII. *Infandum*, 25. Jun. 1885. omnibus locorum Ordinariis datis, “statuitur et declaratur dispensationes “matrimoniales posthaec concedendas, etiamsi copula incestuosa, “vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi, reticita fuerint, validas futuras.” Et ex hoc jure exulant in posterum *Quaer.* 8.^o 9.^o et *Res.* 3.^o, ubi de invaliditate dispensationis ob reticitam copulam incestuosam quaeritur. Nihilominus, cum per has Litteras tantum incestus *poena*, id est, vitium subreptionis abrogari videatur, dicendum est integram manere obligationem in petitione declarandi et copulam incestuosam et pravam intentionem; haec enim, uti antea, ita et nunc dispensationem difficiliorem faciunt et magis onerosam. *Quaesita*. Quid speciatim exponi debeat, quando agitur de matrimonio primum contrahendo. (869.)—Quid in postulatione dispensationis super matrimonio invalide contracto.—An

qui coram magistratu civili contraxerunt, illud exprimere debeant. An qui obtenta dispensatione ab impedimento affinitatis ex copula illicita, v. g. cum consanguinea sponsae, iterum cum ea ante matrimonium peccat, nova indigeat dispensatione.—Quid si cum ea peccet, postquam dispensatio executioni fuerit mandata.—Quid si, contracto matrimonio, rursus peccaverit cum eadem consanguinea uxoris.—Quid si peccaret cum alia sponsae consanguinea ante matrimonium.—An necessarium sit dicere in petitione, quoties copula habita sit cum consanguinea uxoris. (R. 3.)—An si quis petat secundam dispensationem in eadem materia, primam jam obtentam exprimere debeat. (Q. 10.)—An valida sit dispensatio, si exprimat in petitione unum impedimentum pro alio. (R. 1.)—Quid si error inveniatur tantum in Rescripto Pontificis.—Quid si exprimat una linea pro alia linea, vel unus gradus pro alio gradu. (R. 2.)—An in impedimentis publicis officiat validitati dispensationis error in nomine vel cognomine Oratorum, vel dioeceseos, vel parochiae. (4.)

LECTIO 24. I.

Punct. IV. De modo petendi dispensationem. Praenotanda. 1.^o Dispensationes matrimoniales obtineri possunt vel á R. Pontifice in omni prorsus casu, vel ab Episcopis, quoties hi valent dispensare. 2.^o Romanus Pontifex dispensat per S. Datariam, vel per S. Poenitentiarium. Per illam quoad forum externum, atque ideo ab impedimentis publicis; per hanc quoad forum internum, atque ideo ab occultis tantum. Hoc de jure: nam ex mandato Pontificis S. Poenitentiarium dispensat etiam ab impedimentis consanguinitatis et affinitatis, sed solummodo pauperes. 3.^o *Publica* dicuntur impedimenta, quae vel suapte natura, vel per rerum circumstantias sunt notoria, vel saltem in foro externo probari possunt. *Suapte natura* sunt illa, quae sine scandalo, infamia, aliisque incommodis manifestari possunt; unde cognatio, affinitas ex copula licita, publica honestas, ordo, et votum censentur publica, licet de facto ignorentur. Alia impedimenta, uti affinitas ex copula illicita et crimen, aut publica aut occulta esse possunt *pro variis rerum circumstantiis*. 4.^o S. Dataria dispensat, vel *in forma communi*, vel *in forma pauperum*. Hac forma dispensat cum his, qui solvere nequeunt taxam constitutam, quae est duplex; una quae Officialibus cedit, altera Datariae: illa est instar *mercedis*, et definita est; haec instar *poenae incestus*, vel *elemosinae*, si nulla gravis causa dispensandi existat, et plerumque varia est pro natura impedimenti et pro conditione Oratorum: ideo *componenda* dicitur. Ut igitur quis possit S. Poenitentiarium adire pro impedimentis publicis, necesse est ut sit *pauper*;

ut autem dispensationem obtinere possit á S. Dataria in forma pauperum, *misserabilis* esse debet. Nunc de modo recurrenti: 1.^o ad Episcopum: 2.^o ad S. Poenitentiarium: 3.^o ad S. Datariam.

n. 1. *De modo recurrenti ad Episcopum. Principia.* I. Quoad dispensationes, quae *de jure ordinario* conceduntur ab Episcopo, satis est ut impedimentum cum suis circumstantiis clare exponatur, et causa dispensationis in veritate aperiatur, ne dispensatio *subreptionis* aut *obreptionis* vitio laboret. II. Quando Episcopus dispensat *ex Indulto*, eadem regulae, quae in Curia Romana habentur ut necessariae, necessario etiam in casu servandae sunt. (881.) Utrum autem Episcopi exprimere debeant sub poena nullitatis se dispensare Auctoritate Apostolica, alii negant, quia Constitutio Bened. XIV. specialis est.

n. 2. *De modo recurrenti ad S. Poenitentiarium. Principia.* I. Pro recursu faciendo ad S. Poenitentiarium sufficit epistola ad Cardinalem Majorem Poenitentiarium directa; et hanc quilibet scribere potest, sive Parochus, sive Confessarius, imo vel ipse qui dispensationem desiderat. Sed praestat, ut semper utatur opera experti, ut vitetur omnis error. II. Supplicatio fieri debet latino idiomate; et si agatur de foro tantum interno, omissis his, quae ad personas pertinent, nempe, nomina, cognomina, patria, dioecesis, et similia: deinde exprimitur objectum dispensationis et causam sive causas; et postremo additur tum nomen et cognomen verum personae, ad quam rescriptum dirigendum est, tum nomen loci, in quo ipsa moratur. Haec autem idiomate vulgari exarantur ad errorem vitandum. (Vide Formulas, 886-887.)

n. 3. *De modo recurrenti ad S. Datariam. Principia.* I. Quando recurritur ad S. Datariam, epistola supplex dirigitur ad ipsum Pontificem, cum expressione veri nominis et cognominis Oratorum, simul indicando si sint ejusdem aut diversae dioecesis, quia solet rescriptum dirigi ad Ordinarium sponsae. II. Quamvis semel receptis á proprio Ordinario litteris testimonialibus, quilibet possit per se recurrere, vel cuilibet Agenti supplicationem mittere, tutius est ut res committatur Officialibus Curiae Episcopalis, ut passim fit. IV. Episcopus, sive ejus Vicarius Generalis, cognita Oratorum voluntate, illos mittit ad Parochum proprium, cujus partes sunt sponso die festivo intra Missarum solemnia denuntiare; de illorum statu et bonis fortunae inquire; impedimenti naturam et causae aut causarum veritatem indagare; testium depositiones de his omnibus excipere, ac demum parentelae arborem efformare et transcribere. V. His expletis et ad Curiam remissis, Vicarius Episcopi eleemosynam seu *componendam* taxat, quam Oratores solvere debent; et denique supplex libellus una cum Litteris Episcopi commendatitiis mittitur ad Pontificem.

Quaesita. Quomodo petenda sit dispensatio, si adsint duo impedi-

menta, quorum unum publicum sit, alterum occultum.—Quae impedimenta censentur *disparata*, quaenam vero non.—An recurrendum sit ad S. Poenitentiarium, ut circumstantia copulae occulte habitae inter consanguineos manifestetur.—An valeat dispensatio petita in forma pauperum, si Oratores non sint pauperes, vel soluta minori taxa, quam de jure solvere debebant.—Quinam censendi sint pauperes.—Quomodo taxa pecuniaria, quae Oratoribus imponitur, concilari possit cum Decreto Conc. Trid. jubente, ut dispensatio gratis concedatur.

LECTIO. 25. I.

Punct. V. De modo dispensationes exequendi. Praenotanda. 1.^o Forma dispensationum tum in S. Poenitentiarium tum in S. Dataria nunc recepta, est *commissoria*, id est, datur potestas dispensandi, non vero ab ipsis dispensatur. (889—3.) Eadem forma utuntur Episcopi, quoties dispensant quoad internum forum. 2.^o Dispensatio impedimenti publici, sive á Dataria sit sive á Poenitentiarium, committitur *proprio Oratorum Ordinario*, id est, *originis*; et si Oratores sint diversae dioecesis, *Ordinario sponsae*. Dispensatio S. Poenitentiarium pro foro interno committi solet Doctori in Theologia vel in Jure canonico, vel etiam *Confessario ab Oratore eligendo*; et in hoc casu integrum est ei eligere, quem maluerit. (889—4.) Episcopi facultatem dispensandi committi solent Parocho vel Confessario. Nunc de modo executionis.

Principia. I. Nullum mandatum intelligitur, nisi postquam litterae mandantis ad ipsum mandatarium pervenerint: ideo etsi Delegatus certissime sciat litteras jam sibi missas fuisse, si quid exequi ceperit, nihil agit. II. Cum autem litteras acceperit, sedulo animadvertere debet, quae in eis continentur, et maxime tria haec: 1.^o ne erratum sit in impedimentis, sive exponendis sive dispensandis: 2.^o ne petitio fuerit obreptitia aut subreptitia; et denique, 3.^o clausulas dispensationi insertas probe intelligere oportet. III. Clausulae hujusmodi aliae verae *conditiones* sunt; aliae *monitiones*, sen praecepta: illis non servatis, dispensatio est invalida, non servatis his, illicita. Quae sunt *conditiones*, regulariter exprimuntur per particulas *si, modo, ubi*, vel ablativis absolutis: item, quoties dispensatio dari jubetur postquam aliquid factum fuerit, hoc, quod antea faciendum est, pro conditione esse intelligitur, utpote separatio, confessio. IV. Clausulae, quae á S. Poenitentiarium in foro interno apponi solent, sunt duplicis classis: una earum, quae in omni prorsus dispensatione continentur, et dicuntur *generales*; altera earum, quae tantum in dispensationibus pro matrimonio jam contracto, et *speciales* vocantur. V. Clausulae generales seu communes sunt sequentes: (882. Q. 7.) VI. Clausulae

speciales, si matrimonium jam sit contractum, hae sunt: 1.^o *Si separatio fieri nequeat absque scandalo, et ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timeatur.* 2.^o *Ut, certiorata altera parte de nullitate prioris matrimonii; sed ita caute, ut Oratoris delictum non cognoscatur.* 3.^o *Inter se secreto contrahere valeant.* Et haec de clausulis S. Poenitentiariae pro foro interno, quibus consonant, quas Episcopi apponere solent in eodem foro. VII. Denique clausulae, quas S. Dataria inserere solet in dispensationibus cum incestu, sunt sequentes, videlicet: 1.^o *Peractis ab eis duabus sacramentalibus confessionibus.* 2.^o *Praevia Oratorum separatione, et interdicto eis quocum tractu.* 3.^o *Poenitentiam in poenam incestus imponas, et confessionem sacramentalem ad plures menses, vel singulis mensibus: et si dispensatio expedita fuerit in forma pauperum, additur:* 4.^o *Dummodo Oratores vere pauperes et miserabiles existant.* VIII. His praeparatoriis expeditis, dispensatio exequenda est hoc modo. (880.) 1.^o Quoad dispensationem S. Poenitentiariae aut Episcopi in foro interno, Confessarius delegatus dispensat post absolutionem á peccatis his verbis: *Insuper auctoritate apostolica mihi specialiter delegata, dispenso.* 2.^o Quoad dispensationem S. Datariae 1.^o Episcopus vel ejus Vicarius Generalis dispensationem ipse dare debet; et expedit omnino ut hoc faciat hisce aut similibus terminis expressis, *Auctoritate apostolica dispensamus. . .*, sive verbo coram partibus et testibus, sive in scriptis ad proprium Parochum transmittendis cum licentia ut matrimonio assistere possit. 2.^o Parochus, acceptis Vicarii litteris, publice, id est, praesentibus partibus et testibus, debet declarare tolli impedimentum matrimonii, et deinde attestationem hujus dispensationis in libris parochialibus scribere. 3.^o Rescriptum S. Datariae in registris dioecesis diligenter asservatur. *Quaeres.* Quomodo exequenda sit dispensatio S. Poenitentiariae, si impedimentum sit utrique contrahenti notum et commune. (884.)

LECTIO 26. I.

Cap. VII. De revalidatione matrimonii irriti. Matrimonium irritum seu invalidum illud est, quod cum aliquo impedimento dirimente fuit initum. *Praenotanda.* 1.^o Quoties de aliquo impedimento satis constiterit, ac proinde de nullitate matrimonii, oportet inquirere, utrum impedimentum publicum sit, an occultum. Si fuerit publicum, vir et mulier continuo separari debent, etiam quoad habitationem. Si occultum, vel ignoratur ab utroque sponso vel á neutro vel ab alterutro. Si primum, sponsi relinquendi sunt in bona fide, donec provideatur: si alterum separandi sunt quoad thorum, quia fornicarent: si tertium, sponsus conscius impedimenti abstinere debet á

debito sive petendo sive reddendo. 2.^o Ut matrimonium irritum revalidari possit, duo regulariter sunt necessaria, videlicet, impedimentum removere, et consensum renovare. Et primo impedimentum *removere*: unde si impedimentum non recipit dispensationem, uti v. g. impotentia antecedens et perpetua, matrimonium revalidari nequit; si eget dispensatione, et dispensari solet, uti v. g. cognatio, affinitas, impetranda est dispensatio; si vero dispensatione non eget, quia per se cessare possit, uti v. g. error, vis, impotentia temporalis, causa nullitatis removenda est. Secundo necesse est *consensum renovare*; et circa hoc tria inquirenda sunt: 1.^o utrum ab una parte vel ab utraque: 2.^o utrum publice vel secreto: 3.^o utrum is, qui consensum renovat, scire debeat matrimonium antea contractum irritum fuisse. Hic agimus de matrimoniis, quae possunt revalidari; et 1.^o de his, quorum impedimentum non eget dispensatione: 2.^o de his, quorum impedimentum dispensatione eget, et dispensari solet.

Art. I. De revalidatione matrimoniorum, quorum impedimentum non eget dispensatione. Duo matrimoniorum genera dispensatione non egent, scilicet, quae sunt invalida: 1.^o ob defectum consensus: 2.^o ob defectum formae praescriptae. Seorsim. §. I. *De revalidatione matrimonii irriti ob defectum consensus.* (890.) Matrimonium invalidum esse potest ob defectum consensus: 1.^o si consensus fuit simulatus; vel 2.^o positus ex errore circa personam vel circa qualitatem substantialem; vel 3.^o ex ignorantia *conditionis*, id est, servitutis, vel 4.^o vi aut metu coactus, 5.^o á muliere rapta, et in loco tuto non restituta. *Principia.* I. Ut matrimonium irritum ob defectum consensus revalidari possit, ante omnia opus est removere impedimentum, seu tollere causam nullitatis, fictionem, nempe, aut errorem, aut locum non tutum. Hoc posito, certum est hujusmodi matrimonium revalidari per simplicem consensus renovationem. II. Quoties utraque pars defuit in consensu, certum est requiri renovationem consensus utriusque partis. Si vero una tantum defuit, haec certo illum renovare debet; et probabilius sufficit. (Q. 1.) III. Consensus renovandus est *publice*, id est, coram Parocho et testibus, quoties nullitas matrimonii publica fuerit; sin occulta, *secreto*, id est, inter solos contrahentes. (Q. 2.) §. II. *De revalidatione matrimonii irriti ob defectum formae praescriptae.* Forma praescripta intelligitur praesentia Parochi et testium ex Tridentino requisita sub poena invaliditatis matrimonii. *Principia.* I. Ut matrimonium irritum ob defectum formae praescriptae revalidari possit, supplendus est defectus coram Parocho et testibus matrimonium contrahendo. II. Revalidatio coram Parocho et testibus fieri debet *publice* vel *occulte*, prout nullitas matrimonii publica aut occulta fuerit. *Quaestita.* Quid agendum, si una pars vel utraque consentiat ad consensum coram Parocho et testibus renovandum, sed renuat pergere ad Ecclesiam.—Quid agendum, si unus tantum renuat contrahere

coram Parocho et testibus.—Quid, si pars indisposita nec per procuratorem, nec per epistolam proprio Parocho directam velit contrahere.—Quid, si neutra pars denuo matrimonium contrahere consentiat.

LECTIO 27. I.

Art. II. De revalidatione matrimoniorum, quorum impedimentum dispensatione eget, et dispensari solet. Duplex datur genus dispensationis impedimentorum; alia quae dicitur dispensatio *simplex*, id est, quae dispensat tantum ab impedimento, et non á renovatione consensus; alia vero quae *in radice* appellatur, quia ab impedimento dispensat, et simul á consensus renovatione. Seorsim. §. I. *De revalidatione matrimonii cum dispensatione simplici impedimenti. Principia.* I. Ad revalidandum matrimonium irritum ob impedimentum, quod dispensatione eget, et dispensari solet, duo requiruntur: 1.^o dispensationem obtinere; et si dispensatio sit *simplex*, 2.^o consensum renovare. II. Obtenta dispensatione *simplici* impedimenti, uterque conjux tenetur consensum renovare, si uterque sit conscius impedimenti. Si vero alteruter tantum impedimentum cognoverit, is certo consensum renovare debet. (895 I. et II.) III. Consensus renovari debet coram Parocho et testibus, si impedimentum sit publicum; si autem occultum fuerit, sufficit ut renovetur secreto inter solos contrahentes. (Q. 3.) *Quaesita. Circa II.* An pars ignara impedimenti necessario debeat renovare consensum, si impedimentum alteram tantum partem respiceret, v. g. si fidelis duxisset non baptizatam, quae ignorat impedimentum. (III.)—Quid si impedimentum respiciat utramque partem, uti cognatio, affinitas. (Q. 1.) An in praxi liceat aliquando uti secunda sententia.—An pars ignara impedimenti debeat certiorari de nullitate prioris matrimonii, ut dici possit consensum renovare. (Q. 2.)—Quotuplici modo pars ignara possit certiorari, ita ut alterius delictum non detegatur. (Q. 5.) *Circa III.* An saltem matrimonium nullum ob impedimentum occultum, sit revalidandum coram Parocho et testibus, si isti tempore matrimonii fuerint conscii impedimenti. (Q. 4.)

§. II. *De revalidatione matrimonii cum dispensatione in radice.* Quid est dispensatio *in radice*. “Dicitur etiam *sanatio* matrimonii in radice, seu á principio. At in quo haec sanatio ponenda sit, non conveniunt Theologi. Probabilius dicendum est matrimonium sanari quoad suam validitatem *ex nunc*, quia ad praeterita non est potentia; secus sanari posset etiam altero, imo utroque invito; quoad effectus autem, nempe, legitimationem prolis, *ex tunc*, id est, perinde quasi ab initio matrimonium validum fuisse. Itaque dispensatio *in radice* duo haec praestat: 1.^o legitimitatem filiis confert *ex tunc*

seu á principio matrimonii. 2.^o validitatem matrimonio tribuit *ex nunc* sine revalidatione consensus., *Principia*. I. An Ecclesia seu R. Pontifex possit dispensare *in radice* matrimonii quoad impedimenta juris ecclesiastici. II. An Episcopi possint dispensare *in radice*, quando ex indulto particulari possunt dispensare in impedimentis dirimentibus. (Q. 3.) III. Quanam conditiones requiruntur, ut matrimonium ope dispensationis *in radice* convalidari possit. Quae causae censentur sufficienter graves. IV. Quomodo sit exequenda dispensatio *in radice*. (Q. 4.) *Quaesita*. An dispensatio *in radice* possit obtineri et applicari, utraque parte illius ignara.—An possit concedi dispensatio *in radice* si ambae partes, dum contraherent, impedimentum cognoverint.

CAPUT VIII.

DE DEBITO CONJUGALI.

(in tres articulos divisum.)

1.^o De licitate debiti conjugalis: 2.^o de ejusdem obligatione: 3.^o de peccatis conjugum.

LECTIO 28. I.

Art. I. De licitate debiti conjugalis. 1.^o In se: 2.^o quoad circumstantias. §. I. *De licitate debiti conjugalis in se*. Quid dicitur *debitum* conjugale. *Principia*. I. An *debitum* conjugale sit honestum et licitum *per se*, seu *praecisive á fine*. II. Qui fines censentur recti et honesti in usu *debiti* conjugalis. *Quaesita*. An usus *debiti* ob solam voluptatem sit peccatum, et quale.—Quid si fiat cum mente adultera.—An sterilibus sit licitus.—An senibus. §. II. *De licitate debiti quoad circumstantias*. 1.^o *Ratione personae*. Quot et quae circumstantiae seu impedimenta personae adnexa, petitioni *debiti* obesse possunt. *Principia*. I. An conjux voto castitatis innodatus, vel impedimento affinitatis aut cognationis spiritualis irretitus possit petere et reddere *debitum*. II. Quid si uterque conjux tali voto vel impedimento devinciatur. *Quaesita*. An possit reddere *debitum*, qui votum castitatis emittit ante matrimonium.—Quid si alter conjux non petat expresse, sed tantum *interpretative*. (3.)—An ipse possit petere ad vitandam incontinentiam—An possit petere et reddere, qui post matrimonium vovet religionem ingredi, vel sacros Ordines suscipere, conjuge mortuo. (2.) 2.^o *Ratione situs*. *Principia*. I. Qui situs censetur licitus in usu *debiti*. II. An inversio situs natu-

ralis sit *per se* graviter illicita. III. An aliquando omni culpa vacare possit. *Quaesita*. Quaenam censentur causae justae ad situm inverendum—Quid si aliqua perditio sequatur—MONITUM. 3.^o *Ratione temporis*. *Principia*. I An usus *debiti*, *per se* et praecisive á circumstantiis, sub gravi prohibeatur aliquo tempore. II. An sub levi. *Quaesita*. An sit peccatum tempore praegnationis—An menstrui—An lactationis—An morbi—An diebus festis—An tempore Adventus vel Quadragesimae.—An die sacrae Communionis. MONITUM. (3.)

Art. II. De obligatione debiti. Principia. I. An conjuges teneantur *debitum* sibi invicem reddere. II. An teneantur petere—Quare dicitur *per se*. III. An obligatio reddendi cessare possit, et ex quibus causis. IV. Ad quid tenentur conjuges ratione obligationis *debitum* reddendi. (R. 1.) *Quaesita*. *Circa* I. An vel quomodo peccat conjux negans *debitum*. (R. 2. 3. 4.) *Circa* III. An uxor excusetur á *debito* reddendo ob ordinaria partus incommoda. (5.)—An excusetur ob morbum alterius aut proprium—An ob timorem prolis numerosioris. *Circa* IV. An conjuges possint aliquando se separari quoad habitationem ad longum tempus, et ob quas causas. (R. 1.)

LECTIO 29. I.

Art. III. De peccatis conjugum 1.^o In genere: 2.^o de Onanismo in particulari §. I. *De peccatis conjugum in genere* “Actus, qui praeter copulam, sed ejus occasione vel praetextu, á conjugibus exerceri possunt, sunt triplicis classis: 1.^o alii *pro actu conjugali*, id est, necessarii vel utiles ad illum complendum: 2.^o alii *contra*, id est, contrarii seu nocivi generationi prolis: 3.^o alii *praeter*, id est, nec nocivi nec utiles. *Principia*. I. Quidquid *pro*, est licitum. II. Quidquid *contra*, est mortale. III. Quidquid *praeter*, est veniale. *Quaesita*. An oscula et tactus honesti inter conjuges sint peccatum—An tactus et aspectus minus honesti, vel *simpliciter* inhonesti—Quid si fiant sine intentione copulae.—An vel quomodo peccat uxor, quae seipsam An sint peccatum tactus conjugis cum seipso ex delectatione venerea, absente altero conjuge—An delectatio morosa de copula habita vel *remote* habenda—An simplex cogitatio. §. II. *De Onanismo in particulari*. In quo consistit *Onanismi* vitium—Unde nomen hoc vitium sortiatur. *Principia*. I. An Onanismus sit malus *ab intrinseco*, et graviter prohibitus. II. An vir *onanista* aliquando excusari possit á peccato gravi. III. An mulier possit aliquando viro *onanistae debitum* reddere—An vel quando mulier grave peccatum committit. (R. 1. 2.)—An vel quae media adhibere teneatur, ut virum retrahat á peccato. (R. 3. 4.) *Quaesita*. An uxor *debitum* á viro *onanista* petere possit—An peccet uxor consensum *internum*

voluptati praebendo, quando *debitum* viro onanistae reddere potest.—An quae vehementer desiderat, ut vir generationem impediatur, quia prolem habere formidat. (927.)—An, quae posset viri peccatum impedire, et non facit. (Ibi.)—Quomodo se gerere debeat Confessarius cum conjugibus de usu matrimonii prorsus tacentibus. (Q. 1.).

LECTIO 30. I.

Epilogus hujus Tractatus.

TRACTATUS.

DE CENSURIS.

(in tres partes divisus.)

1.^o De censuris in genere: 2.^o in specie: 3.^o in particulari.

PARS I.

DE CENSURIS IN GENERE.

(in quatuor capita divisa.)

1.^o De natura: 2.^o de principio seu auctore: 3.^o de subjecto: 4.^o de absoluteione censurarum.

LECTIO 1.^a J.

Cap. I. De natura censurae. I. DEFINITIO. Quid est censura.— An censura sit poena *per se* perpetua. II. SPECIES. Quot dantur censurarum species. III. DIVISIO. Censurae variae distinguuntur: 1.^o *Latae et ferendae.* 2.^o *A jure vel ab homine.* Illae, quae feruntur per canones vel statuta ecclesiastica, ideoque per modum legis stabilis et permanentis: haec, quas Superior fert per modum sententiae vel mandati. *Per modum sententiae*, cum Judex de aliquo delicto causam instruit, et judicialiter sententiam fert, imponendo poenam censurae. *Per modum mandati vel praecepti*, cum Superior aliquid praecipit aut prohibet, adjuncta sanctione censurae. Mandatum est duplex: aliud *generale*, in quo nulla singularis facti aut saltem personae determinatio fit, v. g. mandamus sub poena suspensionis, ut nemo Missae celebrationem absolvat infra tertiam horae partem: aliud *particulare*, quod fertur circa determinatum aliquod factum vel personam, v. g. circa tale furtum restituendum, vel talem Sacerdotem praepropere celebrantem. 3.^o *Reservatae vel non reservatae*, prout canon vel Superior earum absoluteionem sibi aut alteri Superiori reservavit, vel Confessariis ordinariis ab illis absolvere permisit. 4.^o *Notoriae vel occultae*, prout publice constant, vel non; et si constant per sententiam judicis vel per confessionem rei in judicio, dicuntur notoriae notorietate *juris*; si autem constant per factum, quod sit ita cognitum, ut celari amplius non possit, sunt notoriae notorietate *facti*. 5.^o *Validae vel invalidae*, prout feruntur, vel non, á Superiore legitimo; et in his, quae sunt per sententiam, servato ordine juris, nempe, citatione et aliis, de quibus infra.

6.^o *Justae*, si ferantur ex actis et probatis et ob verum delictum: alias *injustae*. IV. **CONDITIONES.** Conditiones ad censurae validitatem, seu potius ad censuram incurrendam, sunt duplicis classis, scilicet, aliae *generales*, quae requiruntur ad incurrendam quamlibet censuram, et aliae *particulares*, seu ad incurrendas censuras *per sententiam*. Primo, ut censura quaevis, sive á jure sive ab homine *per praeceptum* lata, incurri possit, duo necessario requiruntur, peccatum, nempe, seu delictum, et contumacia. *Peccatum* seu delictum, quia poena est: *contumacia* seu contemptus censurae, quia est poena medicinalis. Imo, quia poena est strictae interpretationis, peccatum seu delictum debet esse: 1.^o grave seu mortale: 2.^o externum: 3.^o consummatum opere in genere suo: 4.^o certum, certitudine *juris* et *facti*; et quia requiritur contumacia, 5.^o non *mere praeteritum*, id est, quod non habeat *tractum successivum*, uti ajunt; nam furtum, damnum injuria illatum, et similia, censuris coerceri possunt, et incurruntur. Ad haec, si censura irrogatur *per sententiam judicis*, sive condemnatoriam, si censura est ferenda, sive declaratoriam, si est lata, ut haec reum teneat, fieri debet servato ordine juris; ad quod duo requiruntur, videlicet, *citatio* seu *monitio* et *sententia*. Citatio seu monitio est comminatio certae alicujus censurae. Duplex distinguitur: alia *á jure*, eaque est, quae continetur in ipsa lege vel praecepto, quo aliquid jubetur vel vetatur sub poena talis censurae; alia *ab homine*, quae etiam *ex persona* et *canonica* dici solet, qua nempe reo praecipitur aliquid intra definitum tempus praestare, v. g. intra triduum restituere, aut beneficium residere sub poena excommunicationis aut suspensionis. Haec postrema monitio Superioris nomine facienda est, et reo personaliter, et trina esse debet, et probabiliter in scriptis. Praeterea requiritur *sententia*; et haec 1.^o debet continere causam condemnationis, id est, delictum in specie, ut reus sciat quid emendare oporteat: 2.^o censuram irrogare, non in perpetuum, nec in diem certum, nec ad judicis arbitrium, sed donec reus emendetur: 3.^o semper ferenda est *in scriptis*; attamen lata oretenus valet. V. **CAUSAE EXCUSANTES.** Demum, ut quis censuram incurrat, necesse est ut nulla justa causa excusetur. Porro á censura excusant ignorantia, metus, et impotentia, et etiam aetas et appellatio. 1.^o *Ignorantia*, certo si invincibilis, sive *facti*, veluti si quis percutiat Clericum, laicum putans; sive *juris*, nempe, *canonici*, ut puta si libros haereticorum legas, nesciens id vetitum esse praecepto Ecclesiae; sive denique *censurae solius*, uti si prohibitionem quidem noscas, sed ignores censurae poenam. Ratio, quia censura non incurritur sine contumacia; contumacia autem est contemptus censurae, et *non contemnit, qui ignorat.* (938.) 2.^o *Metus*, si sit gravis et injustus, qui á lege ecclesiastica excusat, ideoque á poena. (940.) 3.^o *Impotentia*, id est, si reus factus sit impos praestare, quod sub censura praestare jussus fuerat; quia in hoc casu deficit culpa seu

delictum. 4.^o *Appellatio* legitima; quae definitur recursus ad Superiorem ex causa justa, et intra tempus á lege praescriptum. (950.— Q. 6.) Haec devolvit causam ad Superiorem, ideoque et censuram. Unde si appellatio fiat ante censurae sententiam, uti si iudex commineat cum censura, si reus non restituat, eam suspendit, et appellatio dicitur *suspensiva*. Secus si fiat post sententiam; nam in hoc casu censura obtinet, donec sententia á Superiore cassetur, id est, annulletur, et tunc appellatio vocatur *devolutiva*. De *aetate* ubi de subjecto. VI. EFFECTUS. Censurae adimunt *usum* bonorum spiritualium; non omnium quidem, sed eorum, quae Ecclesiae administrationi Christus Dominus concedidit, ut Sacramentorum participatio, suffragia, beneficia ecclesiastica, et hujusmodi, de quibus clarius infra.

Quaesita Quomodo discernitur, utrum censura sit lata vel ferenda. *Circa conditiones*. 1.^o *Requiritur peccatum*. An censurae ferri possint in animalia. (R. 4.)—An in mortuos. (5.) 2.^o *Grave seu mortale*. An incurratur censura lata ob peccatum leve. (2.)—An incurrat censuram, qui, licet materia sit gravis, ob aliquam circumstantiam á peccato gravi excusatur. (1.)—Quid si dubitetur de gravitate materiae prohibita. (Q. 2.)—An Superior, qui ob quamlibet gravem culpam censuram ferret, valide et licite ageret—An incurratur censura á iudice lata per sententiam, si fuerit *materialiter* injusta, id est, ex falsis probationibus, et non ob verum delictum. (Q. 3.)—Quid si fuerit *formaliter* injusta, id est, non ex actis et probatis, seu omissis formis legalibus. (Ibi) “Ratio, quia iudex excedit facultates.” 3.^o *Requiratur monitio*, quae dicitur *ab homine* seu *canonica*, vel sufficiat illa, quae vocatur *á jure* seu *á lege* (Q. 7.) “Primo certum est, quod si censura, quam iudex irrogare vult, nulla lege aut praecepto sit decreta, necessaria est monitio *canonica*, ne desit contumacia. 2.^o Si censura decreta fuit *praecepto* particulari, communis sententia tenet monitionem *canonicam* non esse necessariam; nam praeceptum monet. 3.^o Denique, si censura decreta sit *á jure* seu *á lege* distinguendum est: in censuris *latis* non requiritur *canonica* monitio, quia lex ipsa lata et cognita, satis admonet; in censuris *ferendae sententiae* requiritur probabiliter.” *Circa causas excusantes*. An excuset á censura ignorantia *vincibilis*. (Q. 5.) 1.^o „ Certo non excusat, generaliter loquendo, si ignorantia sit crassa aut supina. Constat ex Jure canonico. 2.^o Certo excusat, si non sit graviter culpabilis. 3.^o Quaestio est de ignorantia vincibili graviter culpabili, nempe, an dari possit talis ignorantia, quin ideo *crassa* dicenda sit. Negatur in Textu, et affirmatur in Nota. Dicitur *generaliter loquendo*, quia etiam crassa et supina excusat, quoties censura lata est in eos, qui *temere* aliquid faciunt, vel facere *praesumpserint* vel *ausi fuerint*; imo et probabiliter etiam ignorantia *affectata*, si censura constituta est in eos, qui *consulto*, qui *scienter* aliquid fecerint.

(Nota.)—An metus gravis excuset á censura, ubi agitur de praeceptis juris naturalis. (Q. 6.).

LECTIO 2.^a J.

Cap. II. De principio seu auctore censurarum. Principia. I. An Ecclesia gaudeat potestate ferendi censuras. II. Quibus in Ecclesia competat haec potestas (R. 1.) III. Quinam ferre possunt censuras *ex potestate delegata*. IV. Quandonam potestas delegata cesset. (R. 4.)—An subdelegari possit. *Quaesita.* Circa II. An Parochi possint *de jure ordinario* ferre censuras. (R. 2.)—An Episcopi haeretici, excommunicati et suspensi—An Episcopus possit ferre censuras extra dioecesim in subditos suos—An in sua dioecesi existens ferre possit censuram in subditum extra dioecesim existentem—An possit censura ligare subditum alienum in sua dioecesi delinquentem—An Praelati Regulares possint censuram ferre in subditos in quocumque loco existentes *Circa* III. An laici et mulieres possint censuras ferre *ex delegatione*. (R. 3.) An Papa possit hanc potestatem eis delegare. (Nota.)

LECTIO 3.^a J.

Cap. III. De subjecto censurarum. Principia. I. Quisnam potest esse subjectum censurae. II. *Ex indulgentia et benignitate Ecclesiae* excipiuntur impuberes, qui ob aetatis levitatem non sunt obnoxii censuris *jure latis*, exceptis his, quae incurruntur ob violationem clausurae Monialium, et ob percussionem Clerici. III. *Ex consuetudine* excipiuntur Reges et Imperatores, qui non possunt censuris ligari ab Episcopis, sed á solo Papa. IV. *Ex privilegio á jure concesso* excipiuntur Episcopi et Cardinales, qui non ligantur neque interdicto neque suspensione *latis*, nisi expressa mentio eorum fiat. *Quaesita.* An Religiosi exempti ab Episcopo loci, censuris episcopalibus ligari possint.—An censurae subjectum esse possit integra Communitas, uti Capitulum, Civitas, Regnum. (Q. 7.)—An possit quis ligari pluribus censuris simul. “1.^o Propter *plura* peccata sive distinctis actibus, sive unico actu incurruntur plures censurae, etiam ejusdem speciei. 2.^o Etiam propter unum idemque peccatum, si censurae sint á distincto legislatore. 3.^o Etiam propter idem peccatum ab eodem legislatore, si censurae sint specie distinctae. 4.^o Plures censuras ejusdem speciei ab eodem legislatore propter idem peccatum imponere, alienum est á jure.” (Q. 5.)—Quomodo se gerere debeat dubitans, an censura ligetur. (Q. 3.) “Attamen in dubio *facti* consultissimum est absolutionem petere, et in excomuni-

catione oportet, ne quis, dum in Ecclesia se putat, extra eam sit, bonorumque ejus expers.,

LECTIO 4.^a J.

Cap. IV. De absoluteione censurarum. Praenotanda. 1.^o Censurae, semel incurtae, non solvuntur per solam delinquentis emendationem, nec per mortem illius, qui censuram tulit, sed necessaria est absoluteio. Constat ex prop. 45. ab Alex. VII. damnata: *Quoad forum conscientiae, reo correpto, ejusque contumacia cessante, cessant censurae.* 2.^o Confessarii, ut á peccatis, ita á censuris possunt absolutevere vel potestate ordinaria vel delegata, á jure vel ab homine, directa vel indirecta. Hoc posito, videndum est: 1.^o á quo censurarum absoluteio danda sit: 2.^o cui: 3.^o quomodo,

I. A QUO. *Principia.* I. Censurae *ab homine* irrogatae sive per sententiam, sive per modum mandati *particularis*, ab eo tantum absolutevi possunt, qui eas irrogavit. II. Censurae latae *á jure*, vel etiam *ab homine*, per modum mandati aut praecepti generalis, si non fuerint reservatae, absolutevi possunt á quocumque Confessario. Idem dicendum est in dubio vel censurae vel reservationis, quia reservatio est odiosa. III. Quod censuras reservatas et certas, valet generale principium supra positum, ubi de absoluteione reservatorum, nempe: *De potestate ordinaria* absolutevere possunt á censuris reservatis: 1.^o ipsi reservantes; 2.^o eorum successores in eadem potestate; 3.^o eorum Superiores, si quos habeant. *De potestate directe delegata*, qui habent ad hoc specialem commissionem á jure vel ab homine, intra limites tamen concessionis. *Ex privilegio poenitentis*, possunt absolutevi á quolibet Confessario approbato poenitentes, qui vi Jubilaei aut Bullae gaudent privilegio absoluteionem á censuris reservatis obtinendi. *Ratione articuli mortis*, omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes á quibusvis peccatis et censuris absolutevere possunt. *Quaesita.* An Archiepiscopus, vel etiam Patriarcha possit suffraganeorum subditos á censuris absolutevere (R. 1.)—An Superior ecclesiasticus vel delegatus absolutevere possit á censuris, etsi non sit Sacerdos. (2.) *Circa censuras Papae reservatas.* An Episcopi habeant á jure potestatem delegatam absolutevendi á censuris papalibus—An á censuris Papae reservatis, etiam non occultis—Quomodo absolutevere possunt impeditos adeundi Pontificem—An impeditus censeatur, qui potest ad Papam recurrere, saltem per litteras. (575. Nota)—An in casu legitimi impedimenti recurrendi ad Superiorem, etiam simplex Confessarius possit absolutevere á censuris reservatis—An qui habet facultatem generalem absolutevendi á papalibus, possit eo ipso absolutevere á reservatis *speciali modo* (R. 3.)—An qui potest absolutevere á *specialiter* reservatis, possit absolutevere á censura inflictá in

absolventes complicem.—An facultas concessa á Papa pro peccatis reservatis, intelligatur pro reservatis cum censura. (R. 4.)—An etiam facultas ad Episcopo concessa—Quae peccata sunt Papae reservata sine censura—Quo sensu intelligenda sit reservatio peccati illius, qui acceptat munera notabilia á Religiosis.—Quae munera notabilia reputantur. (Nota.)

II. CUI. *Principia*. I. Absolutio censurarum ei solum danda est; qui eam poscit humiliter, et dummodo, 1.^o recesserit á contumacia; 2.^o scandalum, propter quod censurae subjacebat, reparaverit, et 3.^o parti, si quem laeserat, satisfecerit, vel si in praesenti satisfacere nequeat, promiserit, cum primum poterit, satisfacturum. Ad haec, si crimen sit de atrocioribus, jurare debet se unquam in illud non relapsurum. II. Absolutio á censuris danda est non tantum illis, qui certo vel dubie illas incurrerunt, sed etiam cuilibet poenitenti, antequam absolvatur á peccatis. (R. 5.). *Quaesita*. An possit absolvi absens—An Episcopus absens absolvere possit existentem in dioecesi—An possit absolvi invitus—An absolutio á censuris, non satisfacta parte, sit licita. (Nota.)—An dentur casus, in quibus licite absolvi possit.—An talis absolutio sit valida. (Nota.)

III. QUOMODO. *Principia*. I. Absolutio danda est in forma Ecclesiae consueta, scilicet, in foro sacramentali, quandiu non fuerit deducta ad forum contentiosum; alias extra. II. Absolutio dari potest etiam *ad reincidentiam*, quod fit, cum quis absolvitur ea lege, ut nisi intra certum tempus aliquid praestiterit, ipso jure reincidat in eandem censuram. Est autem reincidentia á jure vel ab homine. *A jure*, cum quis absolvitur ab inferiori in duplici casu; 1.^o quia impeditus est Superiorem adire, sed non perpetuo: 2.^o quia in articulo mortis constitutus. *Ab homine*, cum Superior absolvit sub conditione, ut absolutus aliquid praestet intra tale tempus; alias in eandem censuram ipso facto casurus. Reincidentia á jure inest tacite; reincidentia ab homine expresse adjicienda est. *Quaesita*. An ille, qui est obstrictus pluribus censuris, possit absolvi ab una, remanentibus aliis. (Q. 4.)—An qui potestatem habet absolvendi in foro conscientiae, possit id praestare etiam extra confessionem. (Nota.)—An absolutio in foro conscientiae valeat etiam pro foro externo. (Nota.)

PARS II.

DE CENSURIS IN SPECIE.

(in tria capita divisa:)

1.^o De excommunicatione: 2.^o de suspensione: 3.^o de interdicto.

CAPUT. I.

De Excommunicatione.

(in duos articulos divisum.)

1.^o de natura excommunicationis: 2.^o de ejus effectibus.

LECTIO 5.^a J.

Art. I. De natura excommunicationis. Quid est excommunicatio. "Porro Ecclesiae communio intelligitur participatio in bonis spiritualibus, quae Ecclesia omnibus fidelibus dispensat., Excommunicatio duplex distinguitur: *major* et *minor*. Illa privat communionem Ecclesiae totaliter seu in omnibus; haec ex parte tantum seu in aliquo, nempe, in sacramentis suscipiendis: unde excommunicatio minor definitur. *Censura qua aliquis privatur participatione passiva Sacramentorum.* *Passiva*, id est, susceptione, non autem administratione. Haec *minor* excommunicatio potest esse á jure vel ab homine. *A jure* eam contrahebant, qui cum *vitando* communicabant, sive in divinis sive in humanis; et sublata est per Constitutionem *Apostolicae Sedis.* (956.) *Ab homine* datur, si Episcopus vel alius Superior aliquem á susceptione Sacramentorum removeat. Effectus hujus excommunicationis est tantum privatio Sacramentorum; et quia beneficia ecclesiastica ad sacros Ordines suscipiendos sunt instituta, privat *indirecte* electione passiva ad illa. (957. Q. 2.) Qui irretitus hac excommunicatione accedit ad Sacramenta, peccat graviter; qui autem illa administrat, si est in statu gratiae, certo mortaliter non peccat, neque *probabiliter venialiter*, quia talis excommunicatio non est obex. (Ibi.) Ad incurrendam sufficit culpa levis; et quae olim erat *á jure*, absolvi poterat á quovis Confessario (Q. 3.). Haec de minori excommunicatione.

Excommunicatio *major* definitur: *Censura, qua quis privatur totaliter á communionem Ecclesiae.* Quae, si inflicta fuerit ob haeresim vel ejus suspicionem, dicitur *anathema*. Haec excommunicatio removet excommunicatum, quisquis ille sit, á communionem fidelium, et fidelis

á communione excommunicati, si tamen is fuerit *vitandus*. Itaque excommunicati *ratione hujus prohibitionis*, nempe, cum illis communicandi, sunt duplicis classis: alii *tolerati*, cum quibus communicare fidelibus permittitur; alii *vitandi*, quos fideles vitare debent: et hoc ex jure novo, scilicet, ex Const. *Ad evitanda scandala* Martini V.; nam antea omnes excommunicati erant vitandi, id est, interdicta erat fidelibus communicatio omnium indiscriminatim. Vitandi intelliguntur ex laudata Constitutione hi soli: 1.^o qui sacrilegas manus in Clericum injecerit, ita ut ejus factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari: 2.^o qui á judice sunt excommunicati per sententiam in eos latam nominatim, et publicatam vel denunciata[m] specialiter et expresse. *Latam nominatim*, id est, expresso nomine et cognomine, vel ea denominatione, quae vice nominis fungi posset, v. g. excommunicamus Regem Hispaniarum. *Publicatam vel denunciata[m] specialiter et expresse*, id est, in loco publico propositam, vel in Ecclesia coram omnibus lectam. Qui aliter excommnicantur, non vitandi, sed tolerati sunt. *Quaesita*. An ut vitari debeat excommunicatus vitandus, oporteat, ut sit publice notus, quatenus talis—An publicus percussor Clerici vitari debeat, ante sententiam judicis—An licet non tenearis vitare excommunicatum toleratum, possis eum vitare.

LECTIO 6.^a J.

Art. II. De effectibus excommunicationis majoris. Effectus excommunicationis majoris alii sunt *inmediati*, alii *mediati*. Hi sunt: 1.^o irregularitas: 2.^o suspicio haeresis: 3.^o probatio delicti: 4.^o privatio beneficiorum obtentorum. (Nota.) Effectus *inmediatus* est separatio á communione Ecclesiae; quae quidem separatio duo importat: videlicet, privationem participationis in bonis spiritualibus, quorum distributio pertinet ad Ecclesiam, et interdictum communicandi cum fidelibus. Quoad primum, bona spiritualia, quae Ecclesia dispensat fidelibus, sunt duplicis classis: alia *externa*, nempe, Sacramenta, *res sacrae*; Officia divina, *ritus*; sepultura sacra, *crypta*; et, quoad Clericos, beneficia ecclsiastica, *praedia sacra*; alia vero *interna*, scilicet, fructus ex Sacrificio Missae, ex publicis Ecclesiae precibus et indulgentiae, *communio*; et, quoad Clericos, jurisdictio seu ejus usus, *potestas*. At non privat aliis bonis spiritualibus, quae profluunt immediate ex Dei miseratione, uti gratia et virtutibus; quia haec bona non pertinent ad dispensationem Ecclesiae, nec proinde ad ipsius communionem. Quoad alterum, excommunicatio interdicit communicationem excommunicati cum fidelibus, sive in divinis sive in humanis; et vicissim communicationem fidelium cum excommunicato, si is fuerit vitandus. *In divinis*, id est, in spiritualibus,

quae ei per excommunicationem adempta sunt, nempe, in Sacramentis tum suscipiendis tum ministrandis, in divinis Officiis et in sepultura ecclesiastica. *In humanis*, id est *in foro*, seu in quovis officio ad forum pertinente, ut ecce magistratus, procuratoris, testis, accusatoris; et *in omni consortio civili*, scilicet, in colloquiis, precibus privatis, salutatione, negotiatione, mensa; quae omnia, nempe, *civilia* his versibus exprimi solent:

*Si pro delictis anathema quis afficiatur,
Os, orare, vale, communico, mensa negatur.*

Et haec communicatio interdicitur, ut excommunicatus facilius resipiscat, et ne fideles ejus contagione inficiantur; et quidem sub gravi *in divinis*, et *in humanis* sub levi: imo utraque communicatio minoris excommunicationis poena mulctata erat in antiquo jure. Denique tum spiritualia seu *divina*, tum temporalia seu *humana* comprehenduntur in versu:

*Res sacrae, ritus, communico, crypta, potestas,
Praedia sacra, forum, civilia jura vetantur.*

De singulis.

I. *Res sacrae*, id est, privatio Sacramentorum. *Principia*. I. Excommunicatio privat usu tum passivo tum activo Sacramentorum, id est, eorum susceptione et administratione. II Quoad *susceptionem*, excommunicatus quilibet non potest licite suscipere Sacramenta, neque illa á fidelibus petere; neque licet fidelibus illa ei ministrare, si sit *vitandus*. III. Quoad *administrationem*, excommunicatus quilibet non potest licite conficere aut conferre Sacramenta; neque fidelibus licet illa ab eo petere aut suscipere, si sit *vitandus*. *Quaesita*. *Circa*. II. An excommunicatus, qui Sacramenta suscipit, incurrat aliquam poenam. (Nota.)—An aliquando excusetur á culpa.—An Sacramenta valide suscipiat.—An liceat fidelibus dare Sacramenta excommunicato *tolerato*.—An incurrat aliquam poenam, qui Sacramenta ministrat excommunicato *vitando*.—An aliquando excusetur á culpa fidelis, qui Sacramenta dispensat. *Circa* III. An excommunicatus sive toleratus sive vitandus valide et licite Sacramenta administret in casu necessitatis.—An extra casum necessitatis excommunicatus *toleratus* licite administrare possit.—An fideles possint ab eo Sacramenta petere.—An excommunicatus *vitandus* incurrat aliquam poenam, si Sacramenta ministret.—An etiam *toleratus*.—An in aliquo casu excommunicatus etiam *vitandus* licite possit administrare.—Quae Sacramenta administrare potest causa necessitatis.—An Parochus *vitandus* valide matrimonio assistat.—An incurrat irregularitatem.—Quid si alium ad assistendum deputaret.

II. *Ritus*, id est, privatio divinorum Officiorum. “Officia divina intelliguntur functiones sacrae, quas Clerici obeunt ut Ecclesiae ministri, ut Missa, publicae processiones, Vesperae *Principium*. Excommunicatus quilibet non potest interesse divinis Officiis, neque licet

fidelibus una cum eo illis assistere, si sit *vitandus*. *Quaesita*. An privetur assistentia Missae etiam in diebus praecepti.—Quid si vitandus ingrediatur, dum fit Sacrificium. (Nota.)—Quaenam permittuntur excommunicatis etiam vitandis. (R. 2. 3.)—An Clericus excommunicatus obligetur ad Horas canonicas, et quomodo recitare eas debeat.

III. *Communio*, id est, privatio suffragiorum. “Suffragia vel sunt *publica* seu *communia*, vel *privata* seu *particularia*. Publica seu communia sunt gratiae et satisfactiones, quae ex applicatione Ecclesiae omnibus fidelibus proveniunt, sive ex Sacrificio Missae sive ex publicis orationibus, sive ex thesauro Ecclesiae. Privata dicuntur ea, quae fideles cuilibet applicare possunt per bona opera nomine proprio peracta. *Principia*. I. Excommunicatus quilibet privatur suffragiis *communibus* Ecclesiae, tum in vita tum post mortem, nec licet Ecclesiae ministris pro illis applicare, si sint vitandi, et *probabilius* inutiliter applicant etiam pro toleratis. II. Nullus excommunicatus privatur suffragiis *privatis*, utpote quae, ad Ecclesiae communionem non pertinent.

IV. *Cripta*, id est, privatio sepulturae ecclesiasticae. “Sepultura ecclesiastica duobus constat; loco sacro, et ritu catholico. *Principium*. Excommunicatus quilibet etiam *toleratus*, si sit *notorius*, privatur sepultura ecclesiastica; nec licet fidelibus eorum corpora in loco sacro sepeliri, nec ubi illi jacent, qui sunt vitandi, fidelium corpora collocare. *Quaesita*. Quid si aliquis excommunicatus sepultus fuerit in loco sacro. (1. 2.)—An incurrant aliquam poenam, qui in loco sacro sepeliunt excommunicatum vitandum.

V. *Potestas*, id est, privatio jurisdictionis. *Principia*. I. Excommunicatus *vitandus* privatur omni jurisdictione ecclesiastica; et nec licite nec valide potest illam exercere, nec fidelibus licet ipsius exercitium ab eo petere. II. Excommunicatus *toleratus*, etsi *notorius*, valide jurisdictionem exercet, quia alias magna confusio in Ecclesia oriretur: attamen non potest illam licite exercere, nisi rogatus á fidelibus. *Quaesita*. An acta ab excommunicato tolerato infirmari possint. (2.)—An fideles possint ab eo petere Sacramenta jurisdictionis, nempe, Poenitentiam sine justa causa.

VI. *Praedia secra*, id est, privatio beneficiorum. *Principium*. Excommunicatus quilibet est prorsus inhabilis ab beneficia ecclesiastica obtinenda; neque illa petere vel acceptare potest, neque licet fidelibus illa quoquo modo eis conferre, sive vitandi sint, sive tolerati. *Quaesita*. An valide obtineant beneficium á Papa collatum—An excommunicatio privet beneficio jam obtento.—An et quomodo peccet excommunicatus accipiens beneficium—An valida sit acceptatio beneficii, quod collatum fuerit, antequam excommunicationem quis incurreret. (Nota.) Hucusque de *divinis*: nunc de *humanis*.

VII. *Forum*, id est, privatio communicationis forensis. *Principia*. I.

Excommunicatus *vitandus* privatur omni actu ad iudicium pertinente in foro, tum civili, tum ecclesiastico; neque illi licet suam actionem fidelibus praestare, neque fidelibus illam ab eo quaerere vel acceptare. II. Excommunicatus *toleratus* nulla communicatione privatur ipso facto; sed iudice repelli potest.

VIII. *Civilia jura*, id est, privatio consortii socialis. *Principia*. I. Excommunicatus *vitandus* privatur omni consortio civili cum fidelibus; nec ei licet cum fidelibus communicare, et vicissim, non licet fidelibus communicare cum illo. II. Excommunicatus *toleratus* ex hodierna consuetudine non privatur hac communicatione. III. Causae justae ad communicationem reciprocam in *civilibus* inter excommunicatum vitandum et fideles continentur hoc versu:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

LECTIO 7.^a J.

Cap. II. De Suspensione. (993.) Suspendio vel á jure est, vel ab homine. Illa fertur ut censura; haec irrogari potest qua censura est, qua solum poena, et qua cautio, seu *ad cautelam*. I. DEFINITIO. Suspendio, quae est censura, definitur: *Censura, qua Clericus privatur suo officio vel beneficio donec á contumacia discedat*. Unde, qua censura, non potest irrogari nisi propter delictum grave et futurum cum contumacia. Suspendio, mere poenalis, est privatio Clerici á suo officio vel beneficio in vindictam alicujus delicti praeteriti. Denique suspendio *ad cautelam* in eo posita est, ut per Episcopi praeceptum Clericus arceatur á suo officio vel ministerio, non quia de crimine jam convictus, sed ob ejus suspicionem. Suspendio differt á excommunicatione: 1.^o quia subjectum suspensionis sunt soli Clerici: 2.^o quia non privat Ecclesiae communionem, sed tantum usu potestatis ecclesiasticae seu clericalis: 3.^o quia suspendio et censura et simplex poena esse potest. II. DIVISIO. Suspendio est multiplex. 1.^o Ab officio tantum, vel á beneficio tantum, vel ab utroque. Haec dicitur *totalis absolute*, illa *partialis*. Officii nomine intelligitur omnis potestas spiritualis, quae duo complectitur, potestatem ordinis et jurisdictionis: unde, 2.^o Suspendio *ab officio* potest esse, vel ab Ordine solum, vel á jurisdictione solum, vel ab utroque. Haec *totalis ab officio*, illa *partialis*. 3.^o Suspendio *ab ordine* potest esse, sive parte unius Ordinis tantum, sive uno Ordine, sive pluribus, sive omnibus. Haec *totalis ab Ordine*; illa *partialis*. 4.^o Suspendio á *jurisdictione* potest esse, sive á jurisdictione interna solum, sive ab externa solum, sive á parte alterutrius vel utriusque, sive á tota. Haec *totalis á jurisdictione*, illa *partialis*. Beneficium est jus utendi et fruendi bonis beneficio adnexis; quod idcirco duo complectitur, nempe perceptionem fructuum et administrationem bonorum: unde; 5.^o Sus-

pensio á beneficio potest esse, vel á fructibus tantum, vel ab administratione tantum, vel ab utroque. Haec *totalis á beneficio*, illa *partialis*. III. EFFECTUS. 1.^o Suspendio *absolute simpliciter* sine ulla determinatione ad hoc vel illud, semper censetur *totalis absolute*, ac proinde privat omni officio et beneficio. (Reg. 2.) 2.^o Suspendio ab officio *simpliciter*, vel á beneficio *simpliciter*, prima privat omni usu tum Ordinis tum jurisdictionis, seu cujuscumque ministerii ecclesiastici; altera omni fructu et administratione beneficii. (Reg. 4.) At vero neutra ad se alteram trahit; unde suspensus ab beneficio non censetur suspensus ab officio, quod est certum; et suspensus ab officio non censetur suspensus á beneficio, quod est probabilius. (R. 1.) 3.^o Suspendio ab Ordine *simpliciter* vel á jurisdictione *simpliciter*, illa privat usu cujuscumque Ordinis, sive majoris sive minoris; altera usu cujuscumque jurisdictionis sive internae sive externae. (Reg. 4.) At neutra trahit ad se alteram. (R. 1.) 5.^o Suspendio *partialis* privat tantum ea parte, sive officii sive beneficii, sive Ordinis, sive jurisdictionis, quae in lege, vel mandato, vel sententia exprimitur; et quia in odiosis versamur, stricte est interpretanda. (Reg. 2.) 6.^o Denique suspensus vel est toleratus vel vitandus, uti de excommunicato dictum est. IV. VIOLATIO. 1.^o Clericus, qui violat suspensionem, graviter peccat, nisi ignorantia invincibilis, vel metus, vel parvitas materiae illum excuset; vel nisi id fecerit requisitus á fidelibus, quando est *toleratus*. (Reg. 1.) 2.^o Si suspensus fuerit ab officio vel ab Ordine, et hunc exerceat, incurrit irregularitatem; scilicet, dummodo suspensio vera censura sit. (Reg. 1. et R. 2.) Haec quoad suspensum. 3.^o Alii, quando suspensus est *toleratus*, perinde eum habent, ac si nulla suspensione teneretur. Si autem sit *vitandus*, illicitum est cum illo communicare in his, quae ad suspensionem pertinent: unde non licet á suspenso ab officio petere ut Missam celebret, vel celebranti ministrare, nec *probabiliter* celebrationi assistere. V. CESSATIO. Quomodo tollatur suspensio. (Q. 3.) *Quaesita*. An suspensus absolvi possit á peccatis per simplicem Confessarium, antequam á censura solvatur per Superiorem. (Q. 1.)—An possit ferri suspensio partialis pro sola culpa veniali—An suspensus fiat irregularis per exercitium cujuslibet actus, á quo sit suspensus. (R. 2.)—An fiat irregularis Episcopus suspensus á pontificalibus, si Missam celebret. (R. 3.)—Quaenam forma adhibenda sit ad tollendam suspensionem. Q. 4.)—Quisnam possit absolvere á suspensione in foro externo. (Ibi.)—An Sacerdos simplex absolvere possit á suspensione in articulo mortis, si Superior aut delegatus desit.

APENDIX. (1001.) *De Depositione et Degradatione*. Suspensioni affines sunt *depositio* et *degradatio*. Ab ea tamen in hoc differunt, quod censurae non sunt, sed poenae tantum. *Depositio* definitur poena ecclesiastica, qua Clericus privatur in perpetuum omni officio et benefi-

cio, retentis tamen ecclesiasticis privilegiis. *Degradatio* est poena ecclesiastica, qua clericus privatur in perpetuum omni gradu, officio et beneficio, necnon omni privilegio ecclesiastico, ita ut degradatus, solo remanente Ordinis caractere, ad conditionem laicalem reducatur. Degradatio duplex distinguitur: alia *verbalis*, et est sententia iudicis Clericum dejiciens; alia *realis* et *solemnis*, et est luctuosa illa ceremonia, qua Clericus jam verbaliter degradatus, privatur solemniter ab Episcopo ornamentis et insignibus clericalibus, ejiciens illum á foro ecclesiastico, et tradens eum saeculari iudici puniendum. *Quaesita* Quibus delictis tum depositio tum degradatio infligi possunt—An depositus et degradatus teneantur ad Horas canonicas et ad votum castitatis.

LECTIO 8.^a J.

Cap. III. De Interdicto. (1002.) Interdictum est *Censura*, qua *fideles privantur divinis Officiis, quibusdam Sacramentis, et sepultura ecclesiastica.* Aliquando tamen neque censura, neque poena est, sed privatio quaedam—In quo interdictum differat ab excommunicatione.—In quo differt á suspensione. Interdictum, lata significatione, dividitur in *locale*, *personale*, et *mixtum*. *Locale* est, quo afficitur locus aliquis, et est duplex; *generale*, si territorium, puta, regnum, civitas; et *speciale*, si certus locus sacer, v. g. talis Ecclesia. *Personale* est, quod fertur in personas; et est etiam *generale* vel *speciale*, prout fertur in totam aliquam personam moralem, v. g. in totam aliquam Communitatem, vel in personas singulas. Interdictum *mixtum* est interdictum tum locale tum personale simul. Agendum est seorsim de interdicto locali et personali; de quibus haec tria inquirenda sunt: 1.^o quid comprehendant: 2.^o quid vetent: 3.^o quomodo violentur.

I. *De Interdicto locali. Quae loca comprehendat.* 1.^o Interdictum locale *generale* omnia loca territorii comprehendit, etiam exempta: sic interdictum civitatis involvit omnes illius urbis Ecclesias. (Reg. 2.) 2.^o Interdictum locale *speciale* comprehendit ea loca tantum, quae determinat, nec loca exempta involvit, nec Oratoria privata. 3.^o In quolibet interdicto locali; sive generali sive speciali continentur *accessoria loci*; unde urbe interdicta, interdicuntur suburbia et aedificia contigua, licet alio Episcopo sint subjecta: et interdicta Ecclesia, interdicta intelliguntur capellae et coemeterium ei adnexum. (Reg. 3.) *Quid vetet.* 1.^o Interdictum locale, sive generale sive speciale, vetat in locis interdictis divinorum Officiorum celebrationem; administrationem et receptionem aliquorum Sacramentorum, et ecclesiasticam sepulturam. 2.^o Divina Officia intelliguntur omnes functiones sacrae, quae ex institutione

Christi vel Ecclesiae á solis Clericis fieri possunt, nempe Missa, preces publicae (Q. 1.) Et haec in loco interdicto obire, eisque adesse omnibus vetitum est. Nihilominus, si interdictum est speciale, licet in Ecclesia interdicta Sacrum facere semel in hebdomada ad renovandam Eucharistiam, ne desit morituris; si vero sit generale, licet quotidie Missam celebrare et alia divina Officia obire sicut prius, sed non pulsatis campanis, januis clausis, submissa voce, et exclusis interdictis vitandis. Amplius, interdictum generale cessat quoad Officia divina in festivitibus Nativitatis Christi, Paschae, Pentecostes, Assumptionis B. Virginis, et in solemnitatem Corporis Christi. 3.^o Sacramenta, quae in loco interdicto non licet ministrare vel recipere, sunt Eucharistia, Extrema-Untio, et Ordo sacer. Permittuntur Baptismus, Poenitentia, Viaticum, Confirmatio, et probabilius Matrimonium, sed absque benedictione (Q. 1.^o) 5.^o Demum vetitum est dare cuivis, infantibus quoque, sepulturam in loco interdicto. Excipiuntur Clerici, dummodo viventes servaverint interdictum: sed neque hos licet efferre ritu ecclesiastico, neque pulsatis campanis. (Q. 1.^o 3.^o) *Quomodo violetur.* 1.^o Omnis, qui violat quoquomodo interdictum locale, peccat graviter, sive ille sit Clericus sive laicus, nam hoc interdictum ad personas non respicit. (Q. 2.^o) 2.^o Quisquis scienter celebrat, vel facit celebrare divina in loco interdicto, aut *excommunicatos nominatim* admittit ad divina Officia, vel ad Sacramenta, vel ad sepulturam, incurrit ipso facto interdictum ab ingressu Ecclesiae. (Ibi.) 3.^o Denique Clericus, qui in loco nominatim interdicto celebrat scienter quodvis divinum Officium, fit irregularis. (Ibi.)

II. *Interdictum personale. Quosnam comprehendat.* 1.^o Interdicto personali *generali* tenentur omnes et singuli, qui pertinent ad Communitatem, quotquot nunc sunt, et quotquot post latum interdictum ejus Communitatis membra esse ceperint (Reg. 2.^a) 2.^o Interdicto *speciali* hi solum tenentur, in quos latum est, et praeterea *quotquot interdicto locali vel generali personali causam dederunt.* 3.^o Interdictum personale generale et interdictum locale non sunt proprie censurae, sed privationes quaedam; ideo ferri possunt, etsi non omnes Communitatis vel loci personae, sed major earum pars deliquerint; imo etsi unus tantum, qui sit veluti ejus caput, ut Praeses aut Princeps (Q. 3.^o); et tenet etiam innocentes, sed indirecte et quasi per accidens. At interdictum personale *speciale* vera censura est, nullusque eo coerceri potest, nisi ex proprio delicto. (Ibi.) *Quid vetet.* 1.^o Interdictum personale *generale* eadem vetat, quae interdictum locale: unde quae alterum fieri prohibet in locis interdictis, alterum personis interdictis facere prohibet; atque ideo nec eis licet divina Officia obire, nec Sacramenta aliqua ministrare vel recipere, nec in loco sacro sepeliri. Et cessat, uti locale, in festis solemnioribus; et qui illud violat, graviter peccat.

2.^o Interdictum personale *speciale* vetat, prout cetera inierdicta, Officia divina, Sacramenta, et sepulturam. At Sacramenta omnia prorsus seu ministrare seu recipere vetat, praeterquam Poenitentiam et Viaticum in articulo mortis, et si neutrum dari potest, Extremam Uctionem. *Quomodo violatur.* Qui violat interdictum personale, quodcumque illud sit, graviter peccat; imo cum interdictum *speciale* proprie sit censura, qui illud violat aliquem actum Ordinis exercendo, fit eo ipso irregularis.

APPENDIX I. *De cessatione á divinis, et de interdicto ab ingressu Ecclesiae.* I. Cessatio á divinis definiri solet: "Prohibitio Clericis cum primis facta, ut abstineant a Sacrificio Missae et divinis Officiis in aliquo loco sacro celebrandis., In quo cessatio á divinis differt á interdicto.—Quotuplex distinguitur.—Quae Sacramenta ministrari possint tempore cessationis.—A quibusnam cessatio á divinis imponi possit. II. Interdictum ab ingressu Ecclesiae est, "Censura, qua quis Ordinem sacrum exercere, divinis interesse, et in loco sacro sepeliri prohibetur., Est veluti pars interdicti personalis specialis, et vera censura: ideo qui illud violat, fit irregularis: non item qui violat cessationem; sed in utroque casu grave peccatum est.

APPENDIX II. *De Sepultura ecclesiastica.* Sepultura ecclesiastica duobus constat: loco sacro seu benedicto ad fidelium corpora sepelienda, et ritu ab Ecclesia adhibito in efferendis et sepeliendis mortuis. Haec sepultura est pars communionis Ecclesiae; ab eaque arcetur, 1.^o quotquot ad corpus Ecclesiae nunquam pertinuerunt ratione infidelitatis: 2.^o quotquot ab Ecclesiae corpore separati sunt ratione censurae: 3.^o quotquot, licet de corpore Ecclesiae fuerint, communionem hujusmodi indigni habentur ratione alicujus manifesti delicti et publicae impenitentiae. *Quaesita.* Quinam sepultura ecclesiastica privandi sunt *ratione infidelitatis.* (Q. 1.^o Resp. 1.^o) —Quinam *ratione censurae*—Quinam *ratione delicti et peccati manifesti* (5.^o 6.^o 7.^o) "Attamen ad hoc requiritur: 1.^o ut de peccato dubitari non possit, neque quoad factum, neque quoad intentionem facientis, uti v. g. in suicida, quod ipse se occiderit, et sui compos: unde si non satis appareat, utrum mortem quis sibi dederit per desperationem, an per insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, *vitatis tamen pompis et solemnitatibus exequiarum.* (S. Urbis Inq. 16, Maj. 1866.) 2.^o ut peccatum sit publicum, id est, notum majori urbis aut oppidi parti: 3.^o ut absque ullo signo contritionis obierit, his exceptis, qui ex vulnere in duello accepto decesserint: 4.^o ut impenitentia sit adeo publica, ut sepultura sine scandalo concedi non possit. Demum, quia privatio sepulturae est poena fori exterioris, oportet ut nemo ab illa privetur, nisi prius constiterit per sententiam Ordinarii ipsum tali poena dignum esse.,—An privandi sint sepultura, qui praeceptis Confessionis annuae et Comunione Paschalis non satisfecerunt. "Hi non privantur sepultura ecclesiastica, nisi post edic-

tum propositum, et consulto Ordinario. (S. Con. Epp. 14 Jun 1595). Porro edictum hodie amplius proponi non solet.,—An sepeliendi sint loco sacro, qui morte plectuntur.—An mimi et comoedi.—An sit deneganda sepultura, si Sacerdos solus testis fuerit impenitentiae moribundi.—Quid agendum in dubio, utrum sepultura ecclesiastica sit deneganda, necne.—Quo loco sepeliendi sint, qui ecclesiastica sepultura privantur.—An requiratur, ut locus iste per murum aut sepem á coemeterio fidelium separetur.

PARS III.

DE CENSURIS IN PARTICULARI,

SEU DE CONSTITUTIONE “APOSTOLICAE SEDIS.”

(in duo capita divisa.)

1.^o De Constitutione “Apostolicae Sedis” in genere: 2.^o de singulis censuris in ea insertis

LECTIO 9.^a J.

Cap. I. De Constitutione Apostolicae Sedis in genere. Pius, Papa IX., cum animadvertisset censuras *latae sententiae* magnum ad numerum sensim excrevisse, prudentissimo consilio Constitutionem *Apostolicae Sedis* edidit IV. Idus Oct. ann. 1869., in eaque statuit; 1.^o “ut ex quibuscumque censuris, sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae hactenus impositae sunt, non nisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inseruit, eoque modo, quo inseruit, robur exinde habeant.,” 2.^o Declaravit insuper “easdem, non modo ex veterum Canonum auctoritate, quatenus cum hac Constitutione convenient, verum etiam ex hac ipsa Constitutione. non secus ac si nunc primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.,” 3.^o Voluit denique, “sacras tectas servari eas censuras, quas Concilium Tridentinum tulit, (una tantum excepta), quaeque hactenus in suo vigore persisterunt, sive pro R Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, necnon quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Coetuum, Locorumque Piorum, cujuscumque nominis aut generis sint.,” (Nota.) Hinc:

Principia. I. Per Constitutionem *Ap. Sedis* nihil innovatum fuit circa poenas canonicas non censuras, cujusmodi sunt irregularitates, privationes, poenae inhabilitantes aut irritantes; neque circa obligationes quascumque, licet sanctio poenalis, scilicet, censura, fuerit

abrogata. In illa enim agitur tantum de *cenuris*. II. Per laudatam Constitutionem nihil pariter fuit innovatum circa censuras *ferendae sententiae*; sed tantum circa censuras quascumque, quae *per modum latae sententiae* hactenus impositae sunt; atque ideo illae in suo pleno vigore permanent. III. Censurae item, etiam *latae*, quas Tridentinum tulit, quaeque pro electione R. Pontificis, et pro regimine alicujus Communitatis in jure inveniuntur, eo modo obligant, quo hactenus obligarunt, nihilque mutationis in iisdem evenit. IV. Exceptis his omnibus, si aliqua censura hactenus in Jure posita, non inveniatur inserta in Constitutione *Ap. Sedis*, penitus abrogata censetur: imo, nedum censura, sed ejus extensio, et reservationis gradus, non aliunde, quam ex tenore Constitutionis est colligendus et cognoscendus. Dicitur *hactenus in Jure posita*; non vere quae in posterum latae fuerint, uti ea, quam idem Pius IX. in Bulla *Romanus Pontifex* tulit post editam Constitutionem. V. In eo tamen, in quo veteres Canones cum laudata Constitutione concordant, lex nova eandem intelligentiam, eandemque interpretationem habere debet, non secus ac si lex antiqua esset: si vero in aliquo discordent, standum est novae Constitutioni.

LECTIO 10. (J.)

Cap. II. De singulis cenuris in Constitutione Apost. Sedis insertis.
1.^o De Excommunicationibus: 2.^o de Suspensionibus: 3.^o de Interdictis. *Art. I. De Excommunicationibus.* Triplicis generis sunt excommunicationes in Constitutione *Ap. Sedis* insertae *Apostolicae Sedis*, 1.^o reservatae R. Pontifici: 2.^o reservatae Episcopis seu Ordinariis: 3.^o nemini reservatae. Rursum, quae reservantur R. Pontifici sunt duplicis classis: aliae reservatae *speciali modo*; aliae reservatae *generaliter*. Seorsim.

§. I. *De Excommunicationibus R. Pontifici reservatis speciali modo.* Intelliguntur reservatae *speciali modo* excommunicationes illae, á quibus nemo absolvere potest, excepto mortis articulo, nisi *specialem et expressam* super eas facultatem obtinuerit, ita ut pro illis absolvendis minime sufficiat generale privilegium á reservatis papalibus absolvendi. Excommunicationes ejusmodi, ex Bulla Coenae depromptae, excepta X., ponuntur duodecim in Constitutione *Ap. Sedis*, quibus altera adjungenda est ex Bulla *Romanus Pontifex*, 28 Aug. 1873; quaeque omnes, memoriae juvandae gratia, continentur his versibus:

Pontifici reservatis.
Speciali modo et latis,
Sub praescriptis conditionibus.
Hisce excommunicationibus

Innodantur consequenter:

I. Apostata.—II. Legens scienter.

III. Vere schisma perpetrantes

IV. Ad Concilium appellantes.

V. Interficietes Praelatum.

VI. Impedientes jus sacratum.

VII. Judicem laicum cogentes.

VIII. Ad vim laicam recurrentes.

IX. Falsarii pontificiarum,

Forma Brebis, Litterarum.

X. Et absolventes praeterea

Complicem in re venerea.

XI. Ditionis usurpatores.

XII. Civitatum invasores.

Necnon eis dantes auxilium,

Vel favorem, vel consilium.

XIII. Etiam in Bulla *Romanus*.

Negamus intrusis manus.

De singulis.

I. APOSTATA. *Principium*, Hanc primam excommunicationem incurrunt sequentes: 1.^o apostatae: 2.^o haeretici: 3.^o credentes haeticis: 4.^o receptores haeticorum: 5.^o eorum fautores: 6.^o eorum defensores. *Quaesita*. Quis intelligitur *apostata*. (Nota.)—An apostatae censendi sint, qui, relicta fide, nulli sectae adhaerent, uti athei, et deistae.—An liberi *pensatores*, ut ajunt.—Quisnam dicitur *haeticus*.—Quaenam requiruntur ad excommunicationem ob haeresim incurrendam. (981.)—An ignorantia vincibilis excuset.—An qui dubitat, sit haeticus.—An censuram incurrat, qui haeresim intra mentem tenet.—An qui eam exterius manifestat ad consilium petendum. (Ibi.)—An qui haeresim prodit solis factis, uti v. g. Magnetizantes et Spiritistae. (972. Nota.)—Quinam intelliguntur *credentes* haeticis.—An vel in quo ab haeticis distinguantur. (Nota.)—Quinam dicuntur haeticorum *receptores*. “Denique *fautores* dicuntur, qui haeticis aliquo modo favent, sive laudando, sive adjuvando, ut liberius errores diffundere possint; vel etiam non impediendo, cum possint et debeant impedire. *Defensores* autem, qui quovis modo, nempe, vi, verbis aut scriptis haeticorum errores vel personas defendunt; et etiam qui impediunt ne cum eis justitia fiat”—An Episcopus absolvere possit ab haeresi.—Quid si non fuerit deducta ad forum judiciale.—An Episcopus recipere valeat in utroque foro abjurationem haeticorum. Quoad ritum absolvendi haeticos in foro externo, eorumque abjurationem obtinendi, vide Scavini, tom. IV, n. 199.

II. LEGENS SCIENTER. *Principia*. Libri sub hac excommunica-

tione prohibiti, sunt duplicis claseis; 1.^o libri apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes: 2.^o libri cujusvis auctoris per Apostolicas litteras prohibiti. II. Censuram incurrunt omnes: 1.^o eosdem libros scienter legentes: 2.^o retinentes: 3.^o imprimentes: 4.^o quomodolibet defendentes. III. Libri in Indice librorum prohibitorum relati, vel alias ab Ecclesia interdicti, etiam nunc prohibiti manent, quamvis censura sublata fuerit. *Quaesita. Circa I.* An in prohibitione comprehendantur libri eorum, qui dicuntur *credentes* haereticis, *factores* et *defensores* haereticorum. (Nota)—Quid requiritur, ut dici possit librum aliquem *haeresim* propugnare.—Qui libri intelliguntur *nominatim* prohibiti *per Apostolicas litteras*.—An subjaceant excommunicationi manuscripta majoris formae ab haeretico exarata. (987).—An epistola vel concio seorsim impressa. (982).—An diaria publica, vulgo *periódicos*. (Ibi. Nota.) *Circa II.* Quid requiritur, ut quis censeatur *scienter* legere, retinere, etc. (972).—An incurrat excommunicationem audiens legentem. (982.) An qui parum quid legit.—An qui legit ad convincendum haereticum.—Quinam intelliguntur *retinentes*. “Qui libri tenent seu proprietatem seu possessionem, adeoque librum suum penes alium habeant, sive alienum librum penes se.” An incurrant excommunicationem, qui parvo tempore librum retinet. (982.)—An qui retinet, sed á legendo abstinet.—Quinam intelliguntur *imprimentes*.—Quinam *quomodolibet defendentes*. (972.) *Circa III.* A quo confectus et vulgatus fuit *Index* librorum prohibitorum. (983.)—Quaenam sint praecipuae *Indicis* regulae Tridentini jussu editae.—An lex *Indicis* obliget de jure naturali, vel de jure positivo tantum (985.)—Quotuplicis classis sunt libri in *Indice* prohibiti. “His addendi sunt libri *de rebus sacris* tractantes sine Ordinarii approbatione editi, quos ex Tridentino nemini licet imprimere, vel imprimi facere sub poena excommunicationis non reservatae. Unde, habita ratione poenarum, libri jure novo prohibiti in tres classes dividi possunt, videlicet: 1.^o In libros prohibitos sub poena excommunicationis *speciali modo* reservatae per Constitutionem *Ap. Sedis*. 2.^o In libros prohibitos sub poena excommunicationis nemini reservatae ex Tridentino. 3.^o In libros prohibitos sub poena culpae juxta librorum prohibitorum Indicem, ejusque vigentes regulas.”—A quonam impetranda sit licentia libros prohibitos legendi. (988.)

II. VERE SCHISMA PERPETRANTES. *Principium*, Censuram hanc incurrunt: 1.^o schismatici: 2.^o qui á R. Pontificis obedientia pertinaciter se substrahunt vel recedunt. *Quaesita.* Quinam schismatici proprie dicti intelliguntur.—An schismatici hujusmodi censendi sint haeretici.—Quinam significantur nomine eorum, qui ab obedientia Pontificis pertinaciter se substrahunt.

IV. AD CONCILIUM APPELLANTES. Appellare intelligitur á tribunali inferiori ad superius provocare. *Principia.* I. Incurrunt hanc

censuram: 1.^o ipsi appellantes: 2.^o hi omnes, qui physico vel morali modo in causa fuerunt, cur appellatio interposita fuerit. *Quaesita*. Quid requiritur, ut incurratur censura.—(Nota)—Quid significatur per has voces *ab ordinationibus et mandatis* Romanorum Pontificum. “Voces istae latissima gaudent significatione, ita ut omne prorsus decretorum, praeceptorum, admonitionum genus denotent.”—Quid si non persona singularis, sed communitas quaepiam ejusmodi appellationem interposuerit.

V. INTERFICIENTES PRAELATUM. *Principia*. I. Hac censura puniuntur injuriae in corpus, libertatem, et dignitatem Procerum Ecclesiae. II. Excommunicationem incurrunt omnes, qui hujusmodi sacrilegium committunt, sive uti *causae physicae* per se ipsos injuriam inferendo, sive uti *causae morales* illam mandando vel ratam habendo, seu auxilium, consilium vel favorem praestando. *Quaesita*. *Circa I*. Quinam intelliguntur Ecclesiae Proceres.—Quibus modis injuria fieri possit in eorum *corpus*.—Quisnam dicitur *interficere, mutilare, percutere*.—Quomodo fit injuria in eorum *libertatem*.—Quis intelligitur *capere, carcerare, detinere*.—Quomodo injuria fit in eorum *dignitatem*.—Quid intelligitur *ejicere à suis terris vel dominiis*. *Circa II*. Quid requiritur, ut incurrant excommunicationem, qui injuriam ratam habent.

VI. IMPEDIENTES JUS SACRATUM. *Principium*. Censuram hanc incurrunt omnes, qui exercitium jurisdictionis ecclesiasticae impediunt, seu 1.^o facto aliquo, vel directe vel indirecte; seu 2.^o recurrendo ad forum saeculare, ejusque mandata procurando; seu 3.^o mandata edendo; seu 4.^o quotquot his omnibus auxilium, consilium vel favorem praestant. *Quaesita*. Quid veniat nomine *jurisdictionis ecclesiasticae*.—Quaenam ad exercitium hujus jurisdictionis pertinent.—An sacra obire, et Sacramenta ministrare.—An docere, praedicare, et bona acquirere.—Quid requiritur, ut quis dicatur exercitium jurisdictionis impedire.—Quando dicitur impedire facto aliquo *directe*.—Quandonam intelligitur impedire *indirecte*.—An incurratur censura, *effectu non sequuto*.

VII. JUDICEM LAICUM COGENTES. *Principium*. Haec censura duas ferit personarum classes: 1.^o quae violant *privilegium fori* cogentes judices laicos . . . 2.^o quae laedunt *libertatem et jura Ecclesiae* edentes leges vel decreta. *Quaesita*. *Circa primam classem*—Quinam intelliguntur *judices laici*.—Quinam *personae ecclesiasticae* intelliguntur. “Illae omnes, quae privilegio fori gaudent.”—An judices, qui fuerint ab aliis coacti, excommunicationem incurrant—Quibus modis judices cogi possunt—Quandonam censetur judicem ad suum tribunal *trahere* personas ecclesiasticas—An Constitutio ponat aliquam limitationem—*Quoad secundam classem*. Quo sensu hic sumitur vox *Ecclesia*—Quid intelligitur per *leges et decreta*.—Quae leges et decreta censenda sint contraria libertati et juribus

Ecclesiae.—Quinam intelliguntur *edentes*, ita ut hanc excommunicationem incurrant.

VIII. AD VIM LAICAM RECURRENTES *Principium*. Haec excommunicatio lata est contra 1.^o recurrentes ab laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet. 2.^o prohibentes directe vel indirecte eorum promulgationem vel executionem: 3.^o laedentes vel perterrefacientes ipsas partes vel alios. *Quaesita*. *Circa recurrentes*. Quisnam dicitur recurrere *ad laicam potestatem*—Quid intelligitur per litteras vel acta á Sede Apostolica profecta—Quinam censentur Sedis Apostolicae Legati aut Delegati—*Circa prohibentes promulgationem vel executionem*. Quomodo in casu accipienda sit vox *promulgatio*—“*Executio* comprehendit ea omnia, quae necessaria sunt, ut litterae aut acta Apostolica suum effectum habeant, uti v. g. instrumenta super eis conficere, vel confecta partibus tradere, aut partes traditis uti,—Utrum ad incurrendam hanc censuram, necesse sit, ut publicatio vel executio prohibeatur auctoritate publica. *Circa laedentes et perterrefacientes*. Quid intelligitur *laedere* et *perterrefacere*. Quinam accipiendi sint nomine *partes ipsas vel alios*.

IX FALSARII PONTIFICIARUM *Principium*. Hac censura coercentur omnes Litterarum Apostolicarum falsarii; nempe, 1.^o veras corrumpentes: 2.^o falsas confingentes et publicantes; vel 3.^o falsas signaturas supplicationibus ponentes. *Quaesita*. An omnes falsarii incurrant hanc excommunicationem—Quae Litterae Apostolicae dicuntur eontinere *gratiam*, et quaenam *justitiam*.—Quales debeant esse Litterae, ut crimen falsi locum habeat.—Quisnam intelligitur Litteras Apostolicas *corrumpere*—Quisnam falsas *confingere* et *publicare*.—Quisnam *supplicationes falso signare*—Quaenam requirantur ad hanc censuram incurrendam—An requiratur, ut falsarius Litteris his falsatis utatur—An censuram incurrat, qui utitur falsis Litteris.

X. COMPLICEM IN RE VENEREA De hac censura dictum est in Sacramento Poenitentiae. (Vide Lect. 19.) Hic addendum est: 1.^o In Constitutione nostra non legi, ut in Bulla Ben. XIV., “si quis absolvere *ausus fuerit*,” sed “*absolventes*,” unde in praesenti ab hac censura incurrenda non excusat ejus ignorantia, si fuerit crassa vel supina. 2.^o Censuram non incurrere, qui poenitentem complicem inabsolutum dimittit: at vero si illum absolvere finxerit, sive formam absolutionis verbo tenus pronunciando, sive eam substantialiter corrumpendo, incurrit. (S. Poenit. 10. Dec. 1883., facto verbo cum Sanctissimo.)

XI. DITIONIS USURPATORES. Quatuor dantur excommunicationes contra violatores jurium et bonorum Ecclesiae; scilicet. 1.^o haec ipsa, de qua agimus, *speciali modo* reservata: 2.^o quae huic immediate sequitur, reservata quoque *speciali modo*: 3.^o al tera ex Tri-

dentino *generaliter* reservata: 4.^o postrema denique *nemini* reservata in hac ipsa Constitutione. De his suo loco: hic de prima. *Principium. Objectum materiale* hujus excommunicationis sunt *jurisdictio, bona, redditus*, quae pertinent ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum. *Actiones* vero quae censura coercentur, sunt *usurpatio* et *sequestratio*. *Quaesita*. Quid intelligitur nomine *jurisdictionis*.—Quid nomine *bonorum* et *redituum*.—An sint objectum hujus censurae bona ecclesiastica cujuscumque generis.—An bona Monasteriorum.—Quando aliquis dicitur *usurpare*.—An censura comprehendantur fures et latrones.—Quando aliquis dicitur *sequestrare*.—An incurrant excommunicationem, qui praedicta bona ab usurpatoribus emunt.—Quibus conditionibus Sancta Sedes concedere soleat facultatem absolvendi eos, qui injuste acquisiverint, aut possederint bona ecclesiastica immobilia. (Appendix.—1096.)—Quid, si bona immobilia acquisierint, et deinde ea aliis vendiderint. (1097.)—Quid, si bona injuste acquisita mobilia fuerint. (1098.)—Quid de his, qui conduxerint bona inique occupata aut divendita á Gubernio. (1099.)—Quid, si illa in emphyteusim acceperint. (1100.)—Quid, si postea ea á canonis solutione redemerint. (1101.)—Quid de his, qui redemerint census et jura ecclesiastica per se redemibilia. (1102.)—Quid, si census vel jura per se redemibilia non fuerint. (1103.)

XII. CIVITATUM INVASORES. *Principium. Objectum materiale* hujus censurae sunt civitates, terrae, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia. Personae autem, quae excommunicationem incurrunt, sunt duplicis generis; aliae principales, aliae minus principales. Principales sunt: 1.^o *invadentes* vel *destruentes* Civitates, terras, loca, aut jura: 2.^o *usurpantes* vel *perturbantes* jurisdictionem in eis: 3.^o *detinentes* jura, vel *retinentes* jurisdictionem. Personae minus principales sunt, quae ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebent. *Quaesita*. Quo sensu *jura* et *jurisdictio* hic accipi debeant.—Quinam intelliguntur jurisdictionem R. Pontificis in suis terris *perturbare*.—Quinam censentur jura vel jurisdictionem *retinere*.—Quando excommunicationem incurrunt, qui auxilium, consilium, favorem praebent in *detinendo*.—Quid servare debeant, qui munera publica suscipiunt ad civium necessitates vel utilitates.—An acceptari possint munia publica, non mere ad necessitates civium, sed ad tuendum regimen.—Quinam intelliguntur ex officio influere in spoliis manutentionem.—Quaenam sint ejusmodi munia.—Quid si haec oeconomia rebellibus et improbis faveat.—Quando favere detinentibus intelliguntur, qui nullo funguntur officio publico.—An ab hac censura submoti fuerint *adhaerentes* et *defensores*, qui in Bulla Coenae excommunicatione mulctabantur.

XIII. ETIAM IN BULLA "ROMANUS." *Principium*. Hanc excommunicationem incurrunt tres personarum classes: 1.^o Canonici et Digni-

tates, qui vacantis Ecclesiae curam concedere et transferre ausi fuerint in electum in Episcopum ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum de collato sibi Episcopatu. 2.^o Electus ipse aut nominatus, qui vacantis Ecclesiae curam, regimen et administrationem suscipere audeat: 3.^o Omnes, qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium, aut favorem praestiterint. *Quaesita*. An quotquot subjiciuntur excommunicationi, alia poena in eadem Bulla plectantur.—Quid in particulari de electis seu praesentatis in administratione vacantium Ecclesiarum intrusis.—An etiam in intrusos in paroecias aliqua censura lata fuerit post editam Constitutionem *Apostolicae Sedis*.—An qui sic intrusi fuerint extra provincias Venetam et Mediolanensem, excommunicationi *speciali modo* reservatae subjaceant.—An proinde dici possit Decretum pro praedictis provinciis specialem aliquam censuram inducere.—Quid praeterea in praedicto Decreto statutum est circa communicationem cum intrusis.—In quibus interdictum est fidelibus cum intrusis communicare.—An in periculo mortis licite fideles possint absolutionem á Parocho intruso recipere. (8.^o)

Clausula prima derogatoria. Prima haec classis excommunicationum clausula quadam completur, in qua Summus Pontifex haec declarat: 1.^o Pro his excommunicationibus absolvendis nullo pacto sufficere generalem concessionem absolvendi á casibus et censuris Papae reservatis: 2.^o Quoad illarum absolutionem revocata esse quaecumque indulta sub quavis forma concessa: 3.^o Praesumentes ab illis absolvere sine debita facultate, excommunicationem R. Pontifici reservatam incurrere: 4.^o Demum in articulo mortis omnes Sacerdotes absolvere posse; sed cum onere comparendi, sive *ad reincidentiam*. *Quaesita*. *Circa derogationem*. An hac clausula imminutae aut sublatae fuerint facultates omnes, sive ordinariae, sive extraordinariae ante promulgationem ejusdem Constitutionis á Sede Apostolica concessae. “1.^o Certum est non derogari facultates *personales*, nimirum, quae alicui concessae fuerint speciali aliquo rescripto. 2.^o Certum est derogari facultatem absolvendi á casibus papalibus occultis á Tridentino cap. *Liceat* Episcopis concessam, de qua infra. 3.^o Certum est non derogari facultatem Episcopis á jure et consuetudine concessam absolvendi á papalibus, sive occultis sive publicis, quoad eos, qui sunt impediti adire Pontificem: 4.^o Certum est non derogari privilegium fidelibus concessum in Bulla, quae appellatur *Cruciatae Sanctae*. 5.^o Certum denique est non derogari privilegium pro articulo mortis á Tridentino omnibus Sacerdotibus concessum.”—An Praelati Regulares iisdem privilegiis gaudeant, quibus antea.

LECTIO 11. (J.)

Punct. II. De Excommunicationibus Romano Pontifici generaliter reservatis. Excommunicationes hujusmodi septendecim numerantur in ipsa Constitutione, quibus adjungendae sunt duae aliae; nempe, alia contra absolvere praesumentes, de qua in clausula derogatoria praedicta, et altera á Conc. Tridentino lata contra occupantes vel usurpantes bona Ecclesia. En versus:

- Generatim reservatae
Romano, sententiae latae,
Sunt excommunicationes
Quas sic in mente repones.
Hae infliguntur in: I. Docentes.
II. Manus Clerico injicientes.
III. Tetrum duellum perpetrantes.
IV. Massonicis nomen dantes.
V. Asyli Ecclesiae infractores.
VI. Clausurae profanatores.
VII. Mulieres, Religiosorum
Clausum rumpentes virorum.
VIII. Reos simoniae realis.
IX. Ac etiam confidentialis.
X. Et realis ob ingressionem
In aliquam Religionem.
XI. Quaestum de gratiis facientes.
XII. Stipendia colligentes.
XIII. Sic quoque excommunicantur,
Qui alias in jure mulctantur.
XIV. Religiosos ministrantes.
XV. Reliquias Romae captantes.
XVI. Communicantes volenter.
XVII. Clerum in divinis scienter.
XVIII. Temerarii absolutores.
XIX. Necnon Ecclesiae raptores.

De singulis.

I. DOCENTES. *Principia.* I. Hic articulus in duas partes dividitur; prima ad propositiones ab Apostolica Sede damnatas pertinet; altera ad praxim exquirendi á poenitentibus nomen complicitis. II. Objectum primae partis sunt propositiones á S. Sede damnatae sub excommunicatione latae sententiae. Personae autem, quae censura coercentur, sunt *docentes* vel *defendentes* propositiones hujusmodi. III. Secundae partis objectum est *praxis* exquirendi á poenitentibus nomen complicitis prout damnata fuit á Ben. XIV. Personae vero censura mulctatae, qui hujusmodi praxim licitam esse *docent* vel *defendunt*. *Quaesita.* Circa II. Quenam propositiones

recenseri solent, uti interdictae ab Apostolica Sede sub poena excommunicationis latae sententiae. *Circa* III. Qualis sit praxis á Ben. XIV. damnata in Const. *Suprema*. (n. 501.)—Sub quibus poenis hujusmodi praxis damnata est in Const. *Ubi primum*. (Ibi.)—An istae poenae etiam nunc in suo robore maneant.

II. MANUS CLERICO INJICIENTES. “Hoc articulo continetur percelebre privilegium Clericis concessum, quod ex canone Conc. Lat. I. sub Inoc. II. *Si quis suadente diabolo*, appellari consuevit *privilegium Canonis. Principium*. Objectum hujus censurae est personas Clericorum, eorumque libertatem ac dignitatem defendere. Actio, quae illa punitur, est injectio manuum violenta ac injuriosa. *Quaesita*. An hoc privilegium stricte vel late sit accipiendum.—Quinam ergo sub nomine Clericorum veniunt.—Quid intelligitur violenta manuum injectio.—Quomodo injuria *in corpus* fieri possit.—Quomodo fieri possit *in libertatem* vel *dignitatem*.—An incurrant hanc excommunicationem etiam impuberes.—An Clericus, qui sibi manus infert.—An qui ob defectum plenae advertentiae non peccat graviter.—Quotuplex distinguitur *percussio* seu injuria.—Quae percussio dicitur *levis*.—Quaenam *gravis*.—Quaenam *enormis*.—An vel quando possit Episcopus percussorem absolvere.

III. TETRUM DUELLUM PERPETRANTES. *Principia*. I. Objectum hujus excommunicationis est duellum *s rictè tale*, sive sit solemne sive privatum, sive fatale sive non. II. Personae, quae censuram incurrunt, sunt quadruplicis classis. 1.^o *Causae principales*, nempe, duellum perpetrantes, vel ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes. 2.^o Quilibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, velut patrini, tēstes, consilium dantes, vel suadentes, quique in his se quomodolibet immiscent. 3.^o De industria spectantes, quamvis intersint, ut certamen dirimant, cum primum alter vulneratus fuerit. 4.^o Duellum permittentes, vel illud non prohibentes, nempe, si ex officio prohibere debuissent. III. Provocantes vel acceptantes excommunicationem incurrunt, etiamsi duellum non sequatur; ceteri vero non nisi duello secuto. *Quaeres*. An ad rationem duelli requiratur, ut letalibus armis certetur.

IV. MASSONICIS NOMEN DANTES. *Principia*. I. Hujus excommunicationis objectum sunt sectae seu societates, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur, sive palam sive clandestine; sive Massonicae aut Carbonariae appellentur, si alio quocumque nomine; sive viri Principes eas prohibeant, sive tolerant; sive á suis asseclis exigant juramentum de secreto servando, sive non. II. Censuram incurrunt: 1.^o qui hujusmodi sectis nomen dant: 2.^o qui qualemcumque favorem eis praestant: 3.^o qui non denuntiant occultos coriphaeos earum ac duces. *Quaesita*. *Circa* I. An habendi sint uti vetiti coetus illi, qui profitentur se nihil moliri contra Religionem vel civilem Rempublicam, et

nihilominus occulte ineunt foedus juramento firmatum.—An coetus operariorum ob suas utilitates coeuntium, si in iis signa adhibeantur, et arcanum servetur.—An sectae Fenianorum. *Circa* II. An denuntiandi sint omnes, qui his societatibus nomen dederint.—Quid Confessarius prae oculis habere debeat, antequam obligationem denuntiandi poenitenti indicat.—An libri hujusmodi sectariorum comprehendantur sub excommunicatione n. II. *speciali modo* reservata.

V. ASYLI ECCLESIAE INFRACTORES. *Principia*. I. Objectum hujus censurae est immunitas asyli Ecclesiastici; quae definitur jus locis sacris vel religiosis constitutum, ne qui ad ea confugiunt, vi inde extrahantur. II. Loca, quae asyli ecclesiastici immunitate gaudent, sunt Ecclesiae, Coemeteria, palacia Episcoporum, Seminaria, et alia loca pia, quae erecta sint auctoritate Episcopi. III. Excommunicationem incurrunt: 1.^o asylum ausu temerario violare jubentes: 2.^o illum violantes. *Quaesita*. Quibus modis immunitas asyli violatur.—Quando dicitur immunitatem violari ausu temerario.

VI. CLAUSURAE PROFANATORES. *Principia*. I. Objectum hujus articuli est clausura Monialium; et duo haec in illo prohibentur: 1.^o ut nullus *ingredi* possit, cujuscumque conditionis, vel sexus, vel aetatis; adeoque nec ipsi locorum Ordinarii, nec feminae, nec impubes: 2.^o ut nulla monialis possit *egredi* extra casus et formam á S. Pio V. praescriptam. II. Quoad primum, censuram incurrunt: 1.^o ingredienti: 3.^o introducentes: 3.^o admittentes. *Quaesita*. (989.) *Quoad ingressum*. Quid dicitur *clausura*. “Totum illud spatium, quod septis Monasterii continetur.”—Quinam veniunt nomine *Monialium*.—An vel quibus personis liceat ingredi monialium Monasteria.—An Episcopus possit aliquando concedere licentiam ingrediendi Monasteria monialium. *Quoad egressum*. Quinam sint casus á S. Pio V. expressi, in quibus licet monialibus egredi extra Monasterium.—Quaenam sit forma á Sancto Pontifice praescripta.—An casus incendií et epidemiae accipiendi sint *exclusive*.—An detur parvitas materiae in violatione clausurae.—An etiam frequentantes Monasteria monialium incurrant aliquam poenam.—Quid intelligitur *frequentare*. (992.)

VII. MULIERES, RELIGIOSORUM. *Principium*. Personae, quae hanc excommunicationem incurrunt, sunt: 1.^o mulieres *ingredientes* Monasteria virorum Regularium: 2.^o Religiosi eas *admittentes*. *Quaesita*. (989.)—Quinam accipiendi sunt nomine *Regularium*.—An vel quinam gaudent privilegio Monasteria virorum ingrediendi.—An Religiosi *egredientes* extra Monasterium hanc excommunicationem incurrant.—Quomodo Religiosi teneantur ad clausuram. (991.)—Quale peccatum committant, qui egrediuntur á proprio Conventu sine licentia Superioris.—Quid si egressio fuerit nocturna et furtiva.—Quandonam egredientes poenis apostatarum subjiciantur.

VIII. REOS SIMONIAE REALIS.—IX. AC ETIAM CONFIDENTIALIS.

—X. ET REALIS OB INGRESSIONEM.—IN ALIQUAM RELIGIONEM. *Principia*. I. His articulis triplex simoniae labes coercetur: nimirum, simonia realis in beneficiis, simonia confidentialis, et simonia realis ob ingressum in Religionem. Non item simonia realis in collatione Ordinum, uti in antiquo jure; quia de hac nulla fit mentio. II. Simonia realis in beneficiis intelligitur illa tantum, quae est *juris divini*, ex utraque parte completa, saltem *inchoative*, et circa beneficia proprie dicta. Excommunicationem hanc incurrunt: 1.^o dantes: 2.^o recipientes: 3.^o eorum complices. III. In simonia confidentiali coercetur nudum *pactum* simoniacum; atque ideo, tradito beneficio in confidentiam, simonia perfecta intelligitur, et tam dantes, quam accipientes, excommunicationem statim incurrunt. Et contrahitur in beneficiis quibuslibet, dummodo sint proprie dicta; et á quibuscumque personis, etiam á Praelatis et Cardinalibus: non tamen ab his, qui sunt complices. IV: Simonia realis ob ingressum in Religionem etiam intelligitur, quae est *juris divini*, scilicet, si pecunia detur vel exigatur pro *statu* religioso, non vero pro *alimentis*; et incurritur censura postquam simonia fuerit perfecta ex utraque parte, id est, post emissam professionem.

XI. QUAESTUM DE GRATIIS FACIENTES. Materia hujus articuli etiam simoniam redolet. *Principia* I. Quid requiritur juxta Constitutionem S. Pii V. ad incurrendam hanc excommunicationem. (Nota.) II. Quaenam sint gratiae spirituales in praedicta Constitutione recensitae. (Nota.) III. Excommunicatio lata est á S. Pio V. tantum in *inferiores Episcopis*, atque ideo hi soli hodie censuram incurrunt. Poenae autem interdicti ab ingressu Ecclesiae, et suspensionis á perceptione fructuum suarum Ecclesiarum, quibus Episcopi mulctabantur, hodie cessant.

XII. STIPENDIA COLLIGENTES. *Principia*. I. Hac censura punitur turpe lucrum ex stipendiis Missarum, quod olim Ben. XIV. Const. *Quanta cura* mulctaverat, quoad laicos excommunicationis, quoad Clericos suspensionis poena. II. Hodie poena suspensionis non viget; excommunicatio autem tenet omnes, tum Clericos, tum laicos. III. Quaenam requiruntur ad hanc excommunicationem incurrendam. (Nota.) *Quaesita*. An censuram incurrat, qui Missas celebrare facit *ibidem*, et non *in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent*.—An qui retinet partem stipendii, sed non in gravi quantitate.—Quandonam censuram incuratur.

XIII. SIC QUOQUE EXCOMMUNICANTUR. *Principia*. I. Quae actio coercetur hac excommunicatione. (Nota.) II. Quinam obnoxii fiant censurae. (Nota.) III. Quando omnes praedicti excommunicationem incurrunt.

XIV. RELIGIOSI MINISTRANTES. *Principia*. I. Objectum hujus censurae est *usurpatae potestatis abusus* in administratione Extremae Unctionis aut Viatici, non item, ut antea, in administratione

Viatici, et Matrimonii. II. Quinque ad hanc censuram incurrendam requiruntur: 1.^o ut Sacramenta, de quibus in articulo, administrentur absque licentia Parochi: 2.^o extra casum necessitatis: 3.^o á Religioso proprii nominis: 4.^o temere: 5.^o Clericis aut laicis. *Quaesita. Circa conditiones.* Quinam intelligitur *Parochus*.—Quaenam licentia requiratur et sufficiat.—Quomodo casus necessitatis aestimari debeat.—An incurras excommunicationem, si falso putaveris casum necessitatis adesse.—An subjaceant excommunicationi Sacerdotes saeculares, aut etiam regulares, qui vota tantum simplicia emittunt.—An censuram incurrant Religiosi proprie dicti, qui Sacramenta illa administrant Regularibus, etiam alterius Ordinis et extra Monasterium.

XV. RELIQUIAS ROMAE CAPTANTES. *Principia.* I. Hac censura coercetur extractio reliquiarum é sacris Catacumbis Urbis Romae. II. Illam incurunt: 1.^o eas extrahentes absque legitima venia. 2.^o his auxilium vel favorem praebentes. *Quaesita.* Quotuplicis classis distinguuntur ossa et cineres in criptis seu catacumbis reperta. “Alia, de quibus jam constat non esse ossa martyrum, sed fidelium; alia, de quibus jam constat esse ossa martyrum; alia denique, de quibus adhuc dubitatur.” An censuram incurrat, qui sibi aliquid assumat ex his ossibus vel cineribus cujuslibet classis.

XVI. COMMUNICANTES VOLENTER.—XVII. CLERUM IN DIVINIS SCIENTER. *Principia.* I. His articulis coercetur communicatio cum excommunicato nominatim á Summo Pontifice, et quidem in duobus casibus, nimirum: 1.^o juxta art. XVI. si quis communicet cum ejusmodi excommunicato in crimine criminoso; et 2.^o juxta art. XVII. si Clerici scienter et sponte eum in divinis officiis recipiant. II. Priori excommunicationi obnoxii sunt tum Clerici tum laici; posteriori Clerici tantum. *Quaesita.* Quid ex jure antiquo circa communicationem cum excommunicatis.—Quid de jure novo per Martinum V. inducto.—An vel quibus poenis olim coercebatur communicatio cum excommunicato vitando.—In quibus casibus incurrebatur ob hanc causam excommunicatio *major*.—An haec poenae vigeant ex novissimo jure Constitutionis *Apost. Sedis*.—Quisnam intelligitur nominatim excommunicatus á Papa.—Quandonam dicitur excommunicatum in divinis officiis recipi.—Quid significatur per communicationem *in crimine criminoso*.

XVIII. TEMERARII ABSOLUTORES. *Principia.* I. Objectum hujus censurae sunt excommunicationes R. Pontifici reservatae *speciali modo*. II. Tria requiruntur ad hanc censuram incurrendam: 1.^o ut excommunicatio certo sit specialiter reservata: 2.^o ut quis ab ea absolvat sine debita facultate: 3.^o ut praesumat absolvere. *Quaeres.* An hac censura comprehendantur hi, qui absolvunt legitime impeditos ab adeunda Sede Apostolica.

XIX. NECNON ECCLESIAE RAPTORES. *Principia.* I. Objectum, quod haec excommunicatio tuetur, sunt bona, census, jura, fructus, emo-

lumenta, seu quaecumque obventiones cujusvis Ecclesiae, cujusvis loci Pii ad quoscumque usus religiosos vel pios destinata. II. Actiones, quae coercentur, sunt: 1.^o usurpare: 2.^o in proprios usus convertere: 3.^o impedire, ne ab his, ad quos pertinent, percipiantur. III. Personae, quas ferit, sunt: 1.^o haec facientes, sive Clerici sive laici: 2.^o mandantes: 3.^o cooperatores et consentientes. *Quaesita.* An comprehendantur substrahentes decimas, aut eas impediētes.— An qui praedicta bona emunt ab usurpatoribus.—“Imo comprehenduntur quoque hi, ad quos bona ejusmodi quomodocumque pervenerint, v. g. haereditate, donatione. (Pius IX. Alloc. 25. Jul. 1873.)

LECTIO 12. J.

Punct. III. De Excommunicationibus Episcopis sive Ordinariis reservatis. Excommunicationes Episcopis sive Ordinariis reservatae continentur his versibus:

Tres excommunicationes
Pariter sententiae latae,
Ordinariis reservatae,
Sic in memoria repones.
I. In sacratos conjugatos.
II. In abortum efficientes.
III. Falsis Litteris utentes.

De singulis.

I. IN SACRATOS CONJUGATOS. *Principia.* I. Materia hujus excommunicationis sunt matrimonia sacrilega, nempe, á persona sacra attentata. II. Ex jure antiquo excommunicationem incurrebant tantum Regulares professi et Clerici in sacris constituti matrimonium contrahentes; hodie vero etiam hi, qui cum eis contrahunt. III. Ad hanc censuram incurrendam duo requiruntur: 1.^o ut professio vel ordinatio valida fuerit: 2.^o ut contrahere praesumant. *Quaesita.* An requiratur etiam, ut matrimonium hujusmodi alias valere potuisset. (Nota.)—An ignorantia etiam crassa et supina excuset ab hac excommunicatione incurrenda.—Quid si postea, re cognita, in cohabitatione perseveraverint.

II. IN ABORTUM EFFICIENTES. *Principia.* I. Objectum hujus censurae est *abortus*, id est, *praematura* ejectio foetus ex utero matris. II. Ad illam incurrendam duo requiruntur: 1.^o abortum procurare: 2.^o ut revera secutus fuerit. *Quaesita.* Quinam intelligantur *procurantes*.—An haec excommunicatio comprehendat eos, qui ad tale facinus committendum opem, consilium, favorem dederint.—An ipsam feminam, quae in se abortum procurat.—An, uti in veteri jure, opus sit inquirere, utrum foetus animatus fuerit vel inanimatus.

III. FALSIS LITTERIS UTENTES. *Principia.* I. Hac censura coer-
cetur *usus* Litterarum falsatarum: II. Illam incurrunt. 1.^o scienter
illis utentes: 2.^o ea in re cooperantes.—*Quaesita.* Quae Litterae
Apostolicae intelliguntur falsae.—Quinam censentur *utentes*.—Qui-
nam in hac re cooperantes.—Quot excommunicationes incurrat, qui
Litteras falsificat, eisque postea utitur.

LECTIO 13. J.

Punct. IV. De Excommunicationibus nemini reservatis. Excommu-
nicationes hujusmodi continentur his versibus:

- Hae tamen sententiae latae,
Nemini sunt reservatae.
I. Haereticos sepelientem.
II. Inquisitores laedentem.
III. Alienantes vel eementes.
IV. Et denuntiare omittentes.
V. Quibus adde Missionarios.
Mercationis operarios.
VI. Firmae manent, atque ratae
Quaelibet aliae censurae,
Quae inveniuntur alias latae
In Tridentino ipso jure.
Sed tantum prelo mandantes
Libros *de sacris* tractantes.

De singulis.

I. HAERETICOS SEPELIENTEM. *Principia.* I. Grave peccatum est
sepulturam ecclesiasticam dare his, qui ea privantur, sive ob infideli-
tatem, sive ob censuram, sive ob manifestum peccatum et impeni-
tentiam. II. Excommunicatio tamen non incurritur, nisi agatur de
haereticis notoriis, aut *nominatim excommunicatis* vel *interdictis*:
et eam tantum incurrunt, qui *mandant* vel *cogunt* illos tradi ecclesias-
ticae sepulturae. *Quaesita.* An vi hujus Articuli restricta fuerit
censura lata in antiquo jure.—Quinam dicuntur excommunicati
nominatim.—Quid requiritur ut hi, qui censuras á jure latas in-
currunt, dici possint *nominatim* excommunicati.

II. INQUISITORES LAEDENTEM. *Principia.* I. In hoc articulo agi-
tur de Sancto Officio Inquisitionis, non vero de Episcopis, licet hi
sint Inquisitores nati, ubi Sanctum Officium non extat. II. Personae,
quae excommunicationem incurrunt, sunt: 1.^o laedentes et perterre-
facientes Inquisitores et alios: 2.^o sacri Tribunalis scripturas diripien-
tes aut comburentes: 3.^o praedictis cooperantes.

III. ALIENANTES VEL EEMENTES. *Principia.* I. Hoc articulo
excommunicatione plectuntur alienantes et recipere praesumentes
bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam Extrav.

Ambitiosae. II. In hac Extravaganti prohibentur *alienationes omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum*. Unde duo haec inquirenda sunt: 1.^o quae res et bona sint ecclesiastica. 2.^o quid *alienare* intelligatur. *Quaesita*. *Circa I*. Quae bona ecclesiastica dicuntur.—Ad quos pertinet jus in ejusmodi bonis.—An administratores vel oeconomi valide possint haec bona alienare.—An Ordinarii locorum seu Regularium.—An, et quando Ordinarii possint alienare immobilia ac mobilia pretiosa absque beneplacito Sedis Apostolicae.—An possint bona oblata Ecclesiae, vel relicta, repudiare.—An pecuniam mutuum accipere, vel in arca Ecclesiae existentem collocare. *Circa II*. Quid *alienationis* vocabulo hic contineatur.—An excommunicatio locum habeat in alienationibus, quae fiunt de Ecclesia in Ecclesiam.—An in his, quae fiunt ex juxta causa et sine Ecclesiae detrimento.—An locum habeat, si alienatio non fuerit perfecta ex utraque parte.—An in locationibus ultra triennium, si factae fuerint ea lege, ut finito unoquoque triennio liceat locatori discedere.—An excommunicationem incurrant *consentientes, consulentes, faventes*.—An qui res ecclesiasticas destruunt vel furantur.—An omnes *alienantes*.—An qui alienat rem acquisitam contra formam Extrav. *Ambitiosae*.

IV. ET DENUNTIARE OMITTENTES. *Principium*. Haec censura lata est in eos, qui ad turpia sollicitati, omittunt denuntiare infra mensem. (Vide Lect. 20. F.) *Quaesita*. Quomodo mensis sit computandus.—An, qui se denuntiatum promittit, absolvi possit non tantum á peccatis, sed etiam ab excommunicatione, quam post elapsum mensem incurrerit.—An haec censura comprehendat omnes, qui ad denuntiationem tenentur.

V. QUIBUS ADDE MISSIONARIOS. *Quaeres*. An haec censura computanda sit inter non reservatas.

VI. FIRMAE MANENT, ATQUE RATAE. Ita Constitutio: “Praeter “hos hactenus recensitos, eos quoque, quos Sacrosanctum Concilium “Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolu- “tione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter “ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in “Decreto sess. IV. *De editione et usu Sacrorum Librorum* constitu- “ta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris “tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi fa- “ciunt.” Duo in hac clausula declarantur: 1.^o Censuras á Tridentino latas innovari ac confirmari vi hujus Constitutionis: 2.^o Excommunicatio- nem tamen, quam Sacrosanctum Concilium tulit in Decreto *De editio- ne et usu Sacrorum Librorum*, per hanc Constitutionem reformari et coarctari. *Quaesita*. (970. Nota.) *Circa II*. In quo Decretum Tridentini circa libros de rebus sacris tractantes, conveniat cum recenti Constitutione.—An vel in quo differat. *Circa I*. An vi hujus clausulae innoventur et confirmentur omnes censurae, quas Tridentina Synodus inflixit.—Quae censurae intelligantur á Sancto Concilio

indirecte inflictæ. (970.)—An dentur aliae excommunicationes *directe* á Tridentino latae praeter duas illas, quas jam commemoravimus, videlicet, hanc nemini reservatam contra imprimentes, vel imprimi facientes libros *de rebus sacris* sine Ordinarii approbatione, et alteram reservatam generaliter R. Pontifici contra usurpantes vel occupantes bona ac jura Ecclesiae. (977-VI. VII. VIII. IX.)—An Constitutio *Apostolicae Sedis* declaret firmas et in suo vigore alias censuras praeter Tridentinas. (978.)—Quaenam sint praecipuae excommunicationes hucusque latae pro interno regimine Ordinum Regularium.—An per Constitutionem abrogatae fuerint excommunicationes *ferendae sententiae*.—Quaenam praecipuae numerantur. (982.)

LECTIO. 14. J.

Art. II. De Suspensionibus in particulari. (998.) Snsensiones *latae sententiae*, quae in Ecclesia vigent post editam Constitutionem *Ap. Sedis*, sunt duplicis classis: aliae, quae *explicite* in ipsa Constitutione declarantur; aliae latae á Tridentino, et vi ipsius Constitutionis innovatae ac confirmatae. Priores illae enumerantur septem R. Pontifici reservatae, quae indicantur hoc versu:

Suspensiones etiam latas,
Pontifici reservatas,
Incurrunt: I. á beneficio,
Et ex nutu Pontificio,
Vel Conventus vel Capitulum,
Si non exhibentem titulum,
Recipiat sibi Praelatum.

II. Per triennium etiam latum
Hanc incurrunt Ordinantes
Cum ordinato pactantes.

III. Per annum suspensus tantum
Ordinarius est, in quantum
Confert ordines alieno.

IV. Hanc incurrit jure pleno
Praesul, qui, absque beneficio
Vel indulto pontificio,
Ordinet titulo egentes.

V. Ab ordinum exercitio,
Qui professionem adepti,
E claustro fuerint ejecti.

VI. Ab ordine autem suscepto
Suspensi manent profecto,
Qui ordinantur á Praelato

Suspensio, excommunicato.

VII. Clerici in Urbe morati,
Si sint ab alio ordinati,
Aliasve in dioecesi aliena,
Puniuntur eadem poena.

VIII. Et ejusmodi censurae
Omnes obnoxii censeantur,
Qui tali poena mulctantur
In Tridentino ipso jure.

De singulis.

I. VEL CONVENTUS VEL CAPITULUM. (999.) *Principia.* I. Hac censura coercetur *recipere*, id est, excipere seu admittere quasi Praelatos aut Episcopos, qui nondum exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione, licet aliunde é Sancta Sede jam fuerint *provissi*, seu promoti vel confirmati, et non tantum á Gubernio nominati vel praesentati. II. Personae, quae coercentur, sunt Capitula vel Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, alique omnes, nempe, qui ad Capitulum vel Conventum non pertinent. III. Poena, qua coercentur, est suspensio á suorum beneficiorum *perceptione*, id est, á beneficiorum fructibus percipiendis. *Quaesita.* An Capitula et Monasteria incurrant suspensionem á solis beneficiis, quae communiter possident, vel etiam ab his, quae singuli obtinent.—Quid veniat nomine *beneficiorum*.—An suspensionem hanc incurrant ipsi Praelati vel Episcopi, ut in veteri jure.—Quid si Episcopi tantum praesentati vel electi ad vacantem Ecclesiam, ipsius curam et administrationem ante exhibitionem Litterarum suscipere audeant. (998.. Ex Const. *Romanus Pontifex*.)—Quid nomine *Pontificalium* intelligatur. (Nota.)

II. PER TRIENNIUM ETIAM LATUM. III. PER ANNUM SUSPENSUS TANTUM. IV. HANC INCURRUNT JURE PLENO. *Principium.* His articulis puniuntur illegitime *Ordinantes*; nimirum, vel aliquem sine titulo et cum pacto, ex art. II.; vel subditum alienum sine litteris dimissorialibus, aut proprium alibi moratum, sine testimonialibus, ex art. III.; vel denique etiam sine titulo Clericum viventem in aliqua Congregatione, vel Religiosum nondum professum, ex art. IV. *Quaesita. Circa art. II.* Quenam requirantur ad hanc suspensionem incurrendam.—An haec suspensio limitationem acceperit ex nova Constitutione.—Quandonam Clericus censendus sit titulo destitutus.—Quid si adsit titulus verus, sed insufficiens, vel *ex die*, aut *in diem*.—Quid si fuerit *fictus*, seu *fiduciarius*. *Circa art. III.* Quisnam intelligitur subditus alienus.—An Ordinans suspensionem incurrat, si Clericum ordinaverit, collato prius ei beneficio.—Quale debeat esse beneficium collatum.—Quid sint litterae *dimissoriales*.—Quis has litteras dare potest.—Quae litterae *testimonialis* seu commendatitiae appellantur.—A quo Episcopo testimoniales litterae obtinendae sint.—Quae mora in aliquo loco censeatur sufficiens, ut exigi debeat

testimonium status liberi á matrimonii vinculis.—An qui Piis Sodalitiis seu Congregationibus nomen dederunt, opus habeant litteris sive dimissorialibus sive testimonialibus Episcopi, in cujus dioecesi moram trahunt.—Quid juris obtinet in Regulaibus.—Quid autem in Novitiis. *Circa IV.* Quid in antiquo jure de titulo necessario ad sacros ordines pro clero Regulari.—Quinam gaudent *legitimo privilegio*, cujus mentio fit in moderna Constitutione.

V. AB ORDINUM EXERCITIO. *Principia.* I. Subjectum hujus suspensionis sunt Religiosi proprie dicti, nempe, qui solemnem professionem emisissent. II. Quatenam requiruntur, ut Religiosi hanc suspensionem incurrant. (Nota.) *Quaesita.* An suspensionem incurrant apostatae et fugitivi.—An qui ejectus fuerit injuste.—Quomodo injuste ejectus se gerere debeat.—Quatenam sit ratio canonica, cur ejectus maneat suspensus.

VI. AB ORDINE AUTEM SUSCEPTO. VII. CLERICI IN URBE MORATI. *Principium.* His articulis coercentur illegitime *Ordinati*: 1.^o Quilibet ordinatus ab Episcopo nominatim excommunicato, vel suspenso, vel interdicto, aut ab haeretico vel schismatico notorio: 2.^o Clerici saeculares exteri, in Roma commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Cardinalis Urbis Vicarii, etc: 3.^o Clerici suburbicarii, si ordinentur extra suam dioecesim á quovis alio, praeterquam á Cardinali Urbis Vicario, vel non praemissis spiritualibus exercitiis. De his, et istis parum interest nostra. *Quaeritur de primis.* An qui ordines recipit ab excommunicato nominatim á Papa, incurrat aliam poenam praeter suspensionem.—Quandonam suspensio, de qua agitur in hoc Articulo VI., sit R. Pontifici reservata.—Quid si Ordinandus *bona fide* ordines susceperit.—Quid si dubitavit, et inquirere neglexerit.

VIII. ET EJUSMODI CENSURAE. Suspensiones á Tridentina Synodo latae, numerantur septem; et ex his quatuor tenent Ordinatos, vel 1.^o ab Episcopo proprio in aliena dioecesi; vel 2.^o cum dimissoriis Vicarii Capitularis infra annum luctus; vel 3.^o ab Episcopo Titulari praetextu familiaritatis, et sine dimissoriis proprii Praelati; vel denique 4.^o ab alio, quam ab Episcopo proprio, sine testimonialibus. Et haec suspensiones tenent etiam Ordinantes. Insuper suspensionem incurrunt, 5.^o Abbates concedentes dimissorias Clericis saecularibus; 6.^o Episcopi concubinarii; et 7.^o, quod animadverti oportet, Parochus vel alius Sacerdos, qui alterius parochiae sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit.

LECTIO 15. J.

Art. III. De interdictis in particulari. (1006.) In Constitutione *Ap. Sedis* duo tantum interdicta leguntur; quorum alterum reserva-

tum est R. Pontifici *speciali modo*, alterum illi reservatur, cujus sententia contemnitur. Vigent quoque aliud ex Tridentino, aliud in Bulla *Romanus Pontifex* latum. En versus:

- Interdicto reservato
Speciali modo, et lato
- I. Lex Capitulum flagellat,
Quando ad Concilium appellat,
 - II. Poenis mulctantur jam dictis
Sacrum quoque peragentes,
Vel celebrari facientes
In locis vere interdictis.
 - III. Ab ingressu Ecclesiae arcentur
Praelati non denuntiantes,
 - IV. Nominatique ad vacantes,
Qui se intrudi non verentur.

De singulis.

I. LEX CAPITULUM FLAGELLAT. In quo differat hoc interdictum ab excommunicatione item lata contra appellantes ad futurum Concilium.—An interdictum hoc singulas personas Communitatis teneat.—An Clerici, qui illud violaverint ordinem exercendo, contrahant irregularitatem.—An incurrentes hoc interdictum, etiam excommunicationem contrahant.—An interdictum incurrant, qui personis hisce moralibus auxilium, consilium, vel favorem praestent.—An hi incurrant illam excommunicationem.

II. POENIS MULCTANTUR JAM DICTIS. *Principia*. I. Hic articulus duas partes habet: prima ad eos pertinet, qui celebrant vel celebrari faciunt divina in locis interdictis: altera eos respicit, qui admittunt excommunicatos nominatim ad divina Officia vel ad Sacramenta. II. Personae, quae coercentur, sunt soli Clerici. (Nota.) *Quaesita*. Quid per *divina* intelligi debeat.—An poenam incurrat, qui divina celebrat diebus et locis, quibus licet ex veteri jure.—Quandonomam divina licet celebrare in loco interdicto.—Quinam intelligi veniunt vocabulo *admittentes*.—An metus vel coactio *admittentes* excuset.—An praeter interdictum alias poenas canonicas incurrant.

III. AB INGRESSU ECCLESIAE ARCENTUR. Quinam ex Tridentino puniuntur interdicto ab ingressu Ecclesiae. (1008. II.)—Quinam ex Bulla *Romanus Pontifex* Pii IX. (1006,)

Clausula secunda derogatoria et finalis. Absolutis his omnibus censuris, sive Excommunicationibus, sive Suspensionibus, sive Interdictis, quas Summus Pontifex in Constitutione *Ap. Sedis* vel expressit, vel confirmavit, haec circa illarum absolutionem statuit et declarat. “Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi umquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi á casibus et censuris quibusli-

“bet R. Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita, ac indivi-
“dua mentio facta fuerit; quae vero privilegia aut facultates hucusque
“concessae fuerint, ea omnia, easque omnes revocatas, suppressas,
“et abolitas esse volumus. Firmam tamen esse volumus absol-
“vendi facultatem á Tridentina Synodo Episcopis concessam sess.
“XXIV. cap. VI de Reform. in quibuscumque censuris Apostolicae
“Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas
“eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.”
De vi hujus declarationis supra egimus.

LECTIO 16. J.

Epilogus hujus Tractatus.

TRACTATUS.

DE IRREGULARITATIBUS.

(in duo capita divisus.)

1.^o De Irregularitatibus in genere: 2.^o in particulari.

LECTIO 1.^a L.

Cap. I. De Irregularitatibus in genere. I. DEFINITIO. Quid est irregularitas stricte sumpta. "Dicitur, 1.^o *Impedimentum*; quia non est censura neque poena, sed inhabilitas quaedam honorem et reverentiam sacri ministerii respiciens. 2.^o *Canonicum*; quia licet impedimenta, quae ab Ordinibus prohibent, alia sint á natura, uti in mutis, alia á jure divino, uti in feminis, alia denique á jure ecclesiastico, uti in spuriis, irregularitates stricte sumptae in his postremis consistunt. 3.^o *Prohibens*; quia non irritat Ordinationem, sed tantum illicitam facit. 4.^o *Ne quis*, etc.; quia irregularitas duo prohibet, nempe, susceptionem Ordinum, etiam tonsurae, et exercitium Ordinum susceptorum. Insuper, *quia beneficium datur propter officium*, removet quoque á beneficiis obtinendis, et probabilius *valide*: unde irregularitas, quoad susceptionem Ordinum, est impedimentum *impediens*, et quoad provisionem beneficiorum, *dirimens*."—An irregularitas differat á censuris et ab aliis poenis canonicis. II. DIVISIO. Quotuplex distinguuntur irregularitates. III. A QUO CONSTITUI POSSUNT. Regula juris est, *Nulla irregularitas incurritur, nisi in jure sit expressa*. Hinc: 1.^o irregularitas *ab homine* non admittitur: (P. I.) 2.^o non incurritur in dubio *juris*: (Q. 3.) quae autem in jure constitutae sunt, non excedunt proprium casum; et in proprio casu strictissimae interpretationis sunt. IV. QUOMODO INCURRUNTUR. Irregularitates sunt leges inhabilitantes, atque ideo incurruntur ipso facto, et suapte natura ante omnem judicis sententiam; attamen aliter atque aliter. Nam, 1.^o Irregularitales *ex defectu*, quia neque poenae sunt, neque instar poenarum, sed mere impedimenta, incurruntur stante defectu, sive culpabiliter sive inculpabiliter quis illum contraxerit; neque ab eis excusat error, ignorantia, metus. 2.^o Irregularitates *ex delicto* ad instar poenarum sunt; ideoque non incurruntur sine delicto, et quidem gravi, externo, et consummato opere, (P. II.) Et ab eis excusat metus, et ignorantia seu facti seu juris, imo *probabiliter* et solius poenae sive irregularitatis. V. QUOMODO TOLLANTUR. Irregularitates, generaliter loquendo, tolluntur sola dispensatione, 1.^o Papae, in omnibus, quae dispensari possunt, et quidem potestate ordinaria: 2.^o Episcopi e: Regularium,

in his, quae ex delicto occulto proveniunt, excepto homicidio, et hoc ex commissione juris: 3.^o Cujuslibet delegati á Superiore pro ratione acceptae facultatis. Dicitur *generaliter loquendo*, quia nonnullae irregularitates cessant absque ulla dispensatione, uti ex dicendis patebit. *Quaesita. Circa IV.* An ad irregularitatem *ex delicto* incurrendam, praeter scientiam legis divinae, requiratur scientia legis ecclesiasticae prohibentis.—An requiratur etiam scientia poenae, seu irregularitatis.—An censearis irregularis in dubio utrum irregularitatem incurreris.—An incurratur irregularitas, si crimen sit prorsus occultum.—*Circa V.* Quomodo fit dispensatio ab irregularitate. (Q. 6.) “Quoad dispensationis impetrationem et executionem eadem servanda sunt, quae de dispensationibus matrimonialibus disserimus.”

LECTIO. 2.^a L.

Cap. II. De Irregularitatibus in particulari Duplex datur irregularitatum genus; nam quaedam *ex defectu*, quaedam *ex delicto* oriuntur. Aliquae tamen, videlicet, bigamia, homicidium et mutilatio quandoque ex defectu, quandoque ex delicto contrahuntur. Seorsim. *Art. I. De Irregularitatibus ex defectu.* Quot dantur species irregularitatum ex defectu. De singulis.

I. NATALES. *Principia. I.* Ex defectu natalium sunt irregulares filii illegitimi, si tamen constet esse illegitimos. *Constet*; et ideo non sunt irregulares, 1.^o expositi: 2.^o hi, qui concepti sunt constante matrimonio, licet publice, et ab ipsis parentibus adulterini habeantur, nisi tales revera esse juridice probari possint. II. Filii illegitimi sunt illi qui extra matrimonium nati sunt. Qui, si nati fuerint ex viro et muliere, inter quos matrimonium constare potuisset, sive tempore nativitatis sive tempore conceptionis, jure canonico *naturales* dicuntur; secus *spurii*, seu orti *ex damnato coitu*. Rursus filii spurii sunt: 1.^o *adulterini*, si ex conjugatis, vel uno tantum: 2.^o *sacrilegi*, si ex ligatis voto solemniter castitatis. 3.^o *incestuosi*, si ex consanguineis lateralibus vel affinibus: 4.^o *nefarii*, si ex ascendentibus et descendentibus nati fuerint. III. Orti ex matrimonio contracto in gradu prohibito censentur legitimi, dummodo matrimonium contractum fuerit *publice*, id est, praemissis denuntiationibus et cum bona fide, saltem ex una parte: secus illegitimi. IV. Haec irregularitas tollitur: 1.^o per legitimum subsequens matrimonium parentum: verum hoc intelligitur tantum de filiis naturalibus, non de spuriiis: 2.^o per professionem religiosam; sed quoad Ecclesiam tantum, non quoad familiam: imo illegitimi professi *praelaturas* nullatenus habere possunt, quod et in Monialibus locum habet. 3.^o per legitimam dispensationem, nempe, sive á Papa, quae valet quoad omnia, sive

ab Episcopo, quoad Ordines minores, et ad beneficia, quae non exigunt Ordinem sacrum.

II. ANIMUS. Quotuplex animi defectus irregularitatem inducit.—Quinam censentur irregulares ex defectu *rationis*.—Quinam ex defectu *scientiae*.—Quinam ex defectu *fidei confirmatae*.

III. LIBERTAS. Quotuplici ex vinculo oritur irregularitas ex defectu libertatis.—Quinam sunt irregulares ex vinculo *servitutis*.—Quinam ex vinculo *matrimonii*.—Quinam ex vinculo *officii*.

IV. CORPUS. Ex hoc capite sunt irregulares *corpore vitiati*, id est, qui propter aliquod vitium corporis vel inepti sunt, aut minus apti ad alteris ministerium, vel non ea, quae convenit, dignitate illo defungi possunt. Quocirca ista irregularitas oritur ex duplici capite: 1.^o ex aliqua impotentia aut ineptitudine: 2.^o ex aliqua deformitate, quae notabilem horrorem aut indecentiam afferat, vel quae aut stomachum aut risum moveat.—Quinam sunt irregulares ex *impotentia* aut *ineptitudine*. (1.^o 2.^o 3.^o 4.^o 5.^o)—Quinam ex *deformitate*. (6.^o 7.^o)—An sit irregularis, qui uno oculo caret.—An possit celebrare, et Eucharistiam ministrare, qui jam ad Sacerdotium promotus, habet pollicem vel indicem impeditum. “Insuper iudicium ferre de hac irregularitate Episcopi est, tum proprii tum Ordinantis; dispensare autem ad Papam pertinet.”

V. AETAS. Quinam habentur irregulares *ex defectu aetatis*.—Quaenam aetas requiratur pro singulis Ordinibus.—An hodie suspensionem incurrant, qui Ordines suscipiunt ante canonicam aetatem.

VI. NON BIGAMUS. *Bigamus* intelligitur, qui binas uxores legitimas habuit. At in re praesenti bigamia latissime accipitur, et vera, similitudinaria, et interpretativa distinguitur. *Vera* est, quae oritur ex duplici matrimonio, utroque consummato. *Similitudinaria*, quae oritur quasi ex duplici matrimonio, nempe uno carnali et altero spirituali. *Interpretativa* denique, quae oritur ex matrimonio unico, quod tamen interpretatione seu fictione juris quasi duplex habetur. Haec bigamia interpretativa datur in quatuor casibus. (2.^o) Itaque 1.^o bigamia *vera* parit irregularitatem *ex defectu Sacramenti*, id est, significationis unionis Christi cum Ecclesia; et hoc juxta verba Apostoli. (I. ad Timoth. 3. 2.) *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum*. 2.^o Bigamia *similitudinaria* est irregularitas ex delicto. 3.^o Bigamia *interpretativa* etiam inducit irregularitatem, in primo et secundo casu ex defectu; in tertio casu ex infamia, adeoque cum factum innotuerit; in quarto demum ex delicto.

VII. LENIS. Cum Christus fuerit *mitis et humilis corde* valde decet ut ipsius ministri lenitate et mansuetudine sint commendabiles: unde ejus defectus parit irregularitatem. Haec irregularitas contrahitur ex homicidio vel mutilatione *justis*, seu sine delicto, (ideo dicitur ex defectu); verum tantum in triplici casu in jure expresso, nimirum, 1.^o in iudicio sanguinis; 2.^o in bello justo; 3.^o in exercitio chirurgiae.

Quinam autem illam incurrant, et quando patebit ex sequentibus..

I. *Judicium sanguinis*. Illud dicitur, quo irrogatur mors aut mutilatio. A judiciis hujusmodi, licet justis, abhorret Ecclesia, et ideo irregulares declarat omnes Christi fideles, sive Clerici sive laici, qui in haec judicia concurrunt, dummodo concurrant, 1.^o publica auctoritate; 2.^o sua sponte. Et primo *publica auctoritate*: ideo necesse est, ut vel processus, vel sententiae, vel executionis sint participes. Et ex primo capite, nempe, *participatione in processu*, fiunt irregulares accusatores, testes, et advocati, et procuratores contra reum. Ex secundo capite, nempe, *participatione in sententia*, iudices, eorumque assessores, et scribae, et tabelliones, qui sententiam dictant aut publicant. Ex tertio capite, nempe, *participatione in executione*, lictores, apparitores, et ceteri, qui reum comitantur ad supplicii locum, et qui eum mutilatione vel capite plectunt. Secundo requiritur, ut concurrant *sua sponte*: quamobrem excusantur, 1.^o accusatores et delatores damnorum suorum compensationem petentes, *dummodo tamen protestentur expresse, quod ad vindictum seu poenam sanguinis non intendunt*. Qui hanc protestationem omittunt, fiunt irregulares, scilicet, Clerici in sacris constituti, et beneficium ecclesiasticum habentes, *ex delicto*, si eam scienter omiserint; secus *ex defectu*: ceteri, non Clerici, *ex defectu*. Excusantur 2.^o testes, si compulsi fuerint metu, vel praecepto justo, quamvis nullam protestationem emiserint, quia nullo jure exigitur; at iudices, lictores, et ceteri nunquam irregularitatem effugiunt, licet protestationem emittant, quippe sponte funguntur officiis hujusmodi. (R. 1.)

II. *Bellum justum*. 1.^o In bello *injusto*, si vel unus occisus aut mutilatus fuerit, omnes, qui ex parte adversa dimicant, fiunt irregulares *ex delicto*, quasi participes. 2.^o In bello *justo*, si est *defensivum*, nemo contrahit irregularitatem, exceptis Clericis; et ne hi quidem, si pugnaverint in magno vitae periculo. 3.^o In bello *justo offensivo* ille tantum fit irregularis, qui hostem propria manu occidit aut mutilat; et ne is quidem, licet Clericus, si cum incurrerit in eum hostis, aliter se defendi non poterit. (R. 4. 5.)

III. *Exercitium chirurgiae*. Hae irregularitas tenet tantum Clericos et Regulares: scilicet, Clericis in sacris et Monachis interdictum est exercere chirurgiam *incidendo* vel *adurendo*. Quocirca, si *hoc modo* medicinam fecerint alicui, et aegrotus ex *incisione* vel *adustione* interierit, fiunt irregulares; modo tamen id egerint *extra casum necessitatis*, aliis peritis adstantibus. Hinc non incurrunt hanc irregularitatem: 1.^o medici et chirurgi, si non sint Clerici aut Regulares: 2.^o nec ipsi Clerici, si non sint in sacris constituti: 3.^o nec Clerici chirurgiam exercentes citra incisionem et adustionem: 4.^o nec si incisionem aut adustionem adhibeant in casu necessitatis: 5.^o nec demum, si mors aut mutilatio non sequatur. (R. 2. 3.)

VIII. NEC MALA FAMA NOTET. "Infamia est jactura boni nominis

apud prudentes. Est vel juris vel facti. Infamia *juris* contrahitur ex turpi facto, quod *per leges* notatur infamia. Infamia *facti* oritur ex facto aliquo, quod per leges quidem notatum non est, sed existimationem apud graves et honestos viros onerat. Porro facta turpia, quae in jure notantur infamia, vel sunt delicta, vel officia; et delicta quidem vel propria vel aliena. 1.^o Sunt infames *ex delicto proprio*, quotquot tales habentur jure civili, et praeterea apostatae, haeretici, homicidae, perjuri.... (Q. 1.) 2.^o Sunt infames *ex delicto alieno*, filii, et nepotes haereticorum, filii et nepotes percussorum et hostiliter insequentium Cardinales. 3.^o Sunt infames *ex officio* lenones, (seductores, alcahuetes), et mimici, illi, scilicet, qui in scaenam prodeunt, spectaculum sui praebituri. Itaque infamia juris arcet á publicis oneribus, et parit irregularitatem, sive ipso jure, ut quidem volunt, sive post sententiam judicis, saltem declaratoriam, ut alii opinantur. Quaestio est de infamia *facti*, utrum nempe sint irregulares, qui aliquo officio vel professione ignominiosa, non tamen in jure notata, functi sunt, ut puta, carnificis, lanionis, maxime si non potuerit sine peccato exerceri. Dicitur *functi sunt*; nam qui haec in praesens exercent, prohibentur ipso jure naturali. Certo eorum filii non sunt irregulares: convenit tamen, ut ad sacros Ordines non promoveantur nisi in aliena dioecesi, ne dedecus in Ecclesiam redundet. (Q. 3.)—*Quaesita*. An requirantur ad incurrendam irregularitatem, ut delicta vel facta in jure notata sint vere notoria. (Q. 1.)—An sint irregulares innocentes, qui ex falsis testimoniis ad poenas infamantes damnati fuerint.

LECTIO 3.^a L.

Art. De Irregularitatibus ex delicto. Irregularitas *ex delicto* non contrahitur ex quovis delicto, quantumvis enormi; sed ex his solis, quae exprimuntur in jure.—Quenam delicta irregularitatem pariunt. De singulis.

I. REUS FONTE. Quae delicta in Baptismo inducunt irregularitatem.—Quinam fiunt irregulares ex *mala susceptione*.—Quinam ex *illicita iteratione*.—An fiat irregularis, qui rebaptizat sub conditione, sed sine justa causa.—An qui rebaptizat sine solemnitate, vel etiam cum solemnitate, sed occulte. “Probabiliter requiritur, ut *publice et solemniter* rebaptizet.”—An sit irregularis rebaptizans vel rebaptizatus ex metu.

II. REUS SACRIS. Quae delicta in sacris Ordinibus irregularitatem pariunt.—Quinam sunt irregulares ex *usurpatione* Ordinum.—Quinam ex *illicita susceptione*. “Tantum sequentes: 1.^o qui ordinantur furtive, id est, omisso examine, vel in eo reprobati: 2.^o qui, uxore invita, ordinantur in sacris. Qui vero ordinantur ab alieno Episcopo sine dimissoriis, vel ab Episcopo excommunicato, vel suspenso, vel

interdicto nominatim, aut ab haeretico vel schismatico notorio, non irregularitatem, sed suspensionem incurrunt. Ceteri illegitime ordinati, nempe, qui plures Ordines sacros eodem die recipiunt, vel qui per saltum ordinantur, nec irregularitatis, nec suspensionis poena coercentur.

III. REUS CENSURA. Quinam sunt irregulares, uti rei censura. "Qui aliqua censura ligati, scilicet, excommunicatione majori, vel suspensione, *qua Ordinis exercitium prohibetur*, vel interdicto, quod proprie censura sit, solemniter exercent actum Ordinis sacri. Item Sacerdos, qui Sacrum facit in loco interdicto, in quo non licet; non vero qui censuratum cogit ad celebrandum."—An fiat irregularis Diaconus censuratus, qui Evangelium cantat.—An Sacerdos, qui ab Ordine suspensus, sacramentaliter absolvit.—Quid si matrimonio assistat, vel á votis dispenset.—An qui pluribus censuris ligatus, Ordinem sacrum exercet, plures irregularitates incurrat.—An qui cum eadem censura pluries celebrat.

IV. REUS CRIMINE. "Crimen hic intelligitur *haeresis*, eoque magis *apostasia*. Et quidem certum est irregularitatem incurrere, tum haeretici et apostatae, tum eorum fautores, receptatores, defensores; imo et ipsorum filii. At ex quo capite non satis constat. Alii dicunt haereticos esse irregulares, quia haeretici sunt, ideoque *ex delicto*: alii, quia infames, et ideo *ex defectu*: alii denique ex delicto quidem, sed in quantum infamiam parit, adeoque mixto ex famae defectu."

V. REUS LETO. Ille intelligitur, qui est reus homicidii vel mutilationis. Porro homicidium et mutilatio admitti possunt auctoritate publica vel propria; et quae publica auctoritate, vel officio iudicis, vel in bello. Ex homicidio, quod fit in iudicio justo, contrahitur irregularitas ex defectu: ex eo, quod fit in bello, sive ex delicto, sive ex defectu: ex eo demum, quod fit auctoritate propria, ex delicto contrahitur. De hoc agitur: et quidem de irregularitate, quae contrahitur, 1.^o ex homicidio certo; 2.^o ex mutilatione; 3.^o ex homicidio dubio.

I. *Ex homicidio certo*. Homicidium est hominis occisio, adeoque et foetus animati. Dicitur voluntarium *directe*, si intendatur in se; *indirecte* voluntarium, si intendatur in causa; et involuntarium seu *casuale*, si neque in se neque in causa intendatur. *Principia*. I. Irregularitas incurritur ex homicidio voluntario graviter culpabili, etiam occulto, sive directe sive indirecte volito. II. Fiunt irregulares: 1.^o qui occidit; (R. 1.) et si plures communi consilio egerint, et unus occiderit, omnes. (R. 3.) 2.^o qui mandavit occidere: (R. 2.) 3.^o qui vi aut dolo fecit, ne occissus sibi prospiceret, vel ne alius illum defenderet. 4.^o *probabiliter*, etiam consilium dantes, consentientes, et non impediendes. (R. 4.)

II. *Ex mutilatione*. Mutilare est membrum abscindere, seu á corpore, separare. Membrum intelligitur pars principalis corporis, quae

officium seu functionem propriam et á ceteris distinctam praestat. *Principia*. I. Irregularitas incurritur ex mutilatione voluntaria in se vel in causa. II. Fit irregularis: 1.^o qui alium mutilat: 2.^o qui mutilat seipsum; et *ob saevitiam*, 3.^o qui aliquid sibi abscindit, licet membri partem, v. g. digitum; imo et partem digiti.

III. *Ex homicidio dubio*. Dubium circa homicidium, vel est *facti* vel *commissionis*. Dubium facti, si dubitetur de ipso homicidio, an fuerit secutum, necne. Dubium *commissionis*, si constet de homicidio patrato, et dubites utrum tua actione illius causa fueris. (Q. 4.) *Principium*. Quoties constat hominem fuisse occisum, et quis dubitat utrum ipse vel alius occiderit, habendus est uti irregularis. Ita expresse in jure *C. Significanti*, et *C. Ad audientiam*; et hoc in odium speciale, quod homicidium meretur. Sunt tamen qui sentiunt in jure de solo Sacerdote loqui, et quatenus á Sacrificio Missae abstinere debet.

Quaesita. An incurrant irregularitatem, qui committunt homicidium *casuale*, nempe, qui dant operam rei licitae, adhibita sufficienti diligentia. (R. 1.)—An qui dat operam rei illicitae, et aliquem occidit, v. g. si Clericus in venatione, ipsi prohibita, casu hominem occidat. (Q. 1.)—An fiat irregularis, qui occidit alium ob suae vel innocentis vitae defensionem.—An qui occidit alium ob defensionem libertatis, pudicitiae, vel bonorum temporalium magni momenti.—An habendus sit irregularis, qui abortum procuravit, dubitans an foetus animatus esset, necne.—An qui dubitat, utrum in alterius mutilationem influxerit, posito mutilationis facto.

LECTIO 4.^a L.

Epilogus hujus Tractatus.

APPENDIX. I.

DE INDULGENTIIS ET JUBILAEO.

LECTIO 1.^a M.

Cap. I. De Indulgentiis. 1.^o De natura: 2.^o de ministro: 3.^o de sub-
jecto. *Art. I. de natura Indulgentiarum.* "Indulgentia est remissio
poenae temporalis debitae pro peccatis quoad culpam jam dimissis,
facta per applicationem thesauri Ecclesiae á Superiore legitimo.
Thesaurus Ecclesiae intelligitur satisfactiones pretii infiniti Christi
Salvatoris nostri, quibus accedunt etiam satisfactiones Beatae Virgi-
nis, necnon satisfactiones superabundantes Sanctorum."—Quotuplex
distinguitur Indulgentia.—Quid intelligatur per Indulgentias decem
vel quindecim dierum, annorum, etc. (Q. 4.)—Quomodo Indulgentiae
accipiendae sint. (1059. R. 4.)

Art. II. De Ministro Indulgentiarum. Principia. I. An Ecclesia
habeat potestatem concedendi Indulgentias. II. Quinam in Ecclesia
gaudeant potestate *ordinaria* concedendi Indulgentias. 1.^o Papa
respectu omnium fidelium: 2.^o Episcopi et Archiepiscopi suis dioe-
cesanis: 3.^o Cardinales et Nuntii in locis sibi subjectis." III. Ad va-
lorem Indulgentiae duae conditiones requiruntur ex parte conceden-
tis: 1.^o ut eas concedat sibi subditis; 2.^o ut ex pia causa, *quae compre-
hendit honorem Dei, et proximi utilitatem.* *Quaesita. Circa. II.*
Quaenam Indulgentiae concedi possunt ab Episcopis et Archiepisco-
pis. (2.^o)—Quaenam á Cardinalibus et Nuntiis. (4.^o)—An Praelati
Episcopo inferiores possint concedere Indulgentias. (5.^o) An potestas
Indulgentias concedendi possit delegari. (3.^o)—*Circa III.* An sit
valida concessio Indulgentiae facta sine causa. (Q. 1.)—An Episcopi
possint concedere Indulgentias extra dioecesim. (R. 1.)—An Indul-
gentiae expirent morte concedentis. (R. 4.)

*Art. III. De subjecto Indulgentiarum, et de conditionibus in eo
requisitis. Principia. I.* Subjectum capax Indulgentiarum sunt omnes
fideles, tam vivi, quam defuncti. II. Ad lucrandas Indulgentias,
duo requiruntur ex parte subjecti: 1.^o ut opera injuncta tempore
praescripto adimpleat: 2.^o ut sit in statu gratiae, saltem quando
ultimum opus praescriptum ponit. (1044.) Haec in genere, et si
Indulgentias sibi lucrari velit. Quoad Indulgentias quae dicun-
tur *reales*, et quoad eas, quae defunctis applicantur, aliae praeterea
conditiones sunt necessariae; atque ideo quaerendum est de singulis.
Quaesita. I. Circa Indulgentias in genere, quas quis vult sibi lucrari.
1.^o Requiritur, ut subjectum sit *in statu gratiae.* An peccatum veniale
sit obex ad lucrandam Indulgentiam. (Q. 2.)—An Indulgentia, quae

conceditur ut *plenaria*, possit *partialiter* obtineri, si adsit obex impediens quominus integre obtineatur, v. g. affectus ad aliquod veniale. (Q. 3.)—An status gratiae acquirendus sit per Confessionem sacramentalem, quando haec uti opus praescriptum non iungitur. (1052.) 2.^o Requiritur, ut subjectum *opera injuncta adimpleat*. An Indulgentias lucretur, qui opus pro eis praescriptum non integre perficit. (Q. 5.)—An requiratur *confessio et absolutio* etiam pro venialibus ad lucrandas Indulgentias, quae conceduntur cum clausula, *contritis et confessis*. (Q. 10.)—An requiratur toties confessio, quoties lucranda est Indulgentia plenaria.—An detur indultum speciale pro fidelibus, qui *semel in hebdomada* confiteri solent.—Quid de fidelibus, qui non solent confiteri singulis hebdomadis. (Ibi.)—An vel quomodo surdi-muti lucrari valeant Indulgentias, quibus adnexae sunt orationes vocales. (Q. 17.)—An omnia opera praescripta fieri debeant in statu gratiae. (1060—8.)—An praeter duas condiciones jam dictas, requiratur intentio lucrandi Indulgentias, et qualis. (Q. 15.)—An requiratur applicatio Confessarii. (1060.)—Quid in praxi.—An quis possit eadem die *diversas*, aut pluries *easdem* Indulgentias lucrari. (Q. 12.)—An quis *eodem actu*, seu opere, plures Indulgentias lucrari valeat.—An possint acquiri plures Indulgentiae plenariae eodem die.—An quis possit lucrari Indulgentias pro alio quolibet christiano viventi. (R. 2. Nota.)

II. *Circa Indulgentias reales*. Quibusnam rebus Indulgentiae concedi possint. (Q. 19.)—Quandonam res amittant Indulgentias ipsis adnexas. (R. 3.)—An amittantur Indulgentiae, si res mobilis alteri tradatur. (Q. 18.)—An moribundus, qui plures habet imagines, cruces, numismata, aut rosaria benedicta, possit lucrari Indulgentiam toties quoties nomen Jesu repeterit. (R. 5.)—An requiratur ut moribundus secum habeat res, quibus affixae sunt Indulgentiae. (R. 7.)

III. *Circa Indulgentias pro defunctis*. “Indulgentiae pro defunctis differunt ab his, quae viventibus conceduntur. Etenim Indulgentiae respectu viventium sunt vere *absolutiones, relaxationes et donationes* ex potestate clavium provenientes, plane ut in absolutione sacramentali: unde si nihil obstet, sive ex parte dantis, sive ex parte recipientis, earum effectus est infallibilis. Respectu autem defunctorum, quoniam ipsi in Ecclesiae jurisdictione non sunt, Indulgentiae solam habent rationem *suffragii, precatationis, oblationis, vel solutionis*, quatenus nempe Ecclesia Deo offert satisfactiones Christi et Sanctorum, illum exorando, ut pro sua misericordia dignetur has satisfactiones acceptare pro animabus in Purgatorio degentibus. An et quomodo Indulgentiae defunctis applicari possunt. (Q. 6.)—An Indulgentiae infallibiter prosint animabus, pro quibus applicantur.—An applicatio specialis facienda sit certis animabus determinatis, vel generalis sufficiat.—An requiratur status gratiae ad lucrandam Indulgentiam pro defunctis. *Decisiones recentiores*. (1078.)

LECTIO. 2.^a. M.

Cap. II. De Jubilaeo. 1.^o De natura Jubilaei: 2.^o de conditionibus ad Jubilaeum requisitis: 3.^o de privilegiis Jubilaeo adnexis. *Art. I. De natura Jubilaei. I. DEFINITIO.* Quid vox *Jubilaeum* significat.—Quid est Jubilaeum ecclesiasticum.—An vel in quo differat ab Indulgentia plenaria. II. INSTITUTIO. “Primus Jubilaei ecclesiastici institutor perhibetur Bonifacius VIII. anno 1300., qui simul decrevit Jubilaeum esse celebrandum centesimo quoque anno redeunte. Clemens IV. Jubilaei celebrationem ad annum quinquagesimum, Gregorius XI. ad annos triginta et tres, donec tandem Paulus II. et Sixtus IV. ad annos viginti quinque tempus illud coarctarunt, qui mos adhuc servatur. “III. DIVISIO. Quotuplex distinguitur Jubilaeum.—Quantum temporis concedi solet ad Jubilaeum lucrandum.

Art. II. De conditionibus ad Jubilaeum requisitis. Principia. I. Quae conditiones seu opera praescribi solent ad Jubilaeum generale lucrandum. II. Quae ad lucrandum Jubilaeum particulare. *Quaesita. Circa jejunium.* An Jubilaeum lucrari possint absque jejunio senes, infirmi, et alii, qui jejunare non possunt.—An possit satisfieri jejuniiis injunctis per jejunia alias debita. “Imo in jejuniiis praescriptis non nisi cibi esuriales adhiberi possunt, vetito usu circa qualitatem ciborum cujuscumque indulti seu privilegii, etiam Bullae, quae appellatur *Cruciatae Sanctae.*“ *Circa eleemosynam.* Quenam quantitas eleemosynae eroganda sit. (Q. 9.)—In quos fines eleemosyna sit eroganda.—An, vel quomodo eleemosynam facere debeant pauperes, Religiosi, et filii familias. *Circa visitationem Ecclesiarum.* An commutari possit visitatio Ecclesiarum pro impeditis. (Q. 3.) *Circa Confessionem et Communionem.* An Confessio et Communio commutari possint.—An pueri nondum Communionem refecti, ea omissa, Jubilaeum lucrari valeant.—An Communio paschalis sufficiat ad Jubilaeum lucrandum.—An confiteri debeant sola venialia habentes.—Quo ordine opera praescripta adimpleri debeant. (Q. 21.—2.) An qui labitur in peccatum mortale post Confessionem, teneatur iterare opera jam impleta. (Ibi.)—An opera injuncta in una hebdomada perfici omnia debeant. (Q. 11.)

Art. III. De privilegiis Jubilaeo adnexis. “Jubilaeum, praeter Indulgentiam plenariam, omnibus fidelibus concedit privilegia: 1.^o eligendi Confessarium quemlibet ex approbatis ab Ordinario; 2.^o obtinendi ab eo absolutionem á peccatis et censuris reservatis; 3.^o et etiam commutationem votorum.“ *Quaesita. Circa electionem Confessarii.* An facultas eligendi Confessarium respiciat etiam Regulares et ipsas Moniales. (Q. 17.)—An etiam casum complicitis in peccato turpi. *Circa absolutionem á reservatis.* Quousque se proten-

dit potestas circa absolutionem peccatorum. (Q. 18.)—An Confessarius possit absolvere ab omnibus censuris reservatis. (Q. 18.)—An facultas absolvendi á censuris includat facultatem dispensandi ab irregularitatibus. (Q. 21.)—An per confessionem *invalidam* in Jubilaeo tollantur censurae et reservatio peccatorum. (Q. 14.)—An qui confessus est tempore Jubilaei, et oblitus fuit confiteri peccata sua reservata, possit deinde á quocumque Confessario absolvi. (Q. 16.)—An peccet graviter, qui postquam absolutus est á reservatis, non implet cetera opera praescripta. (Q. 15.) “Confessarius tamen non potest absolvere á reservatis eos, qui nolunt implere opera injuncta, et lucrari Jubilaeum.” *Circa commutationem votorum.* An Confessarius possit, non solum vota commutare, sed etiam *dispensare*. (Q. 20.)—An commutatio votorum, absolutio á censuris, et aliae commutationes necessario in ipsa confessione fieri debeant. (1056.)—An vel quomodo Jubilaeum lucrari possint viatores. (1072.)—An Jubilaeum pluries lucrifieri possit. (Nota.)—An in anno Jubilaei Indulgentiae alias concessae tum vivis tum defunctis, lucrari valeant. (Q. 21.)—Quaenam Indulgentiae pro vivis excipiuntur á suspensione. (Ibi.)

APPENDIX II.

DE BULLA CRUCIATAE SANCTAE.

1.^o In genere. 2.^o de gratiis et privilegiis in ea concessis.

LECTIO 1.^a N.

Cap. I. De Bulla Cruciatæ Sanctæ in genere. I. DEFINITIO. Quomodo Bulla Cruciatæ Sanctæ definiri solet.—Undenam hoc diploma nomen *Bullæ* accepit, et *Cruciatæ*.—A quo tempore Cruciatæ Sancta contra inimicos fidei fuit instituta.—Quandonam Indulgentia et Bulla Cruciatæ primo fuit concessa in Hispania.—II. DIVISIO. “Bulla Cruciatæ una tantum est: attamen cum ipsius gratiæ et privilegia in quatuor veluti partes segregata á Commissario Generali publicentur, et pro singulis summariis totidem eleemosynæ erogandæ sint, hinc est quod quadruplex distinguatur Bulla: nempe, *Communis vivorum, Lacticiniorum, Defunctorum, et Compositionis*. III. SUBJECTUM. Quibus conceditur Bulla. “Omnibus Christi fidelibus in regnis Hispaniarum *commorantibus, vel ad illa divertentibus*.” *Circa loca*.—An regnis et locis, quæ denuo obedientiæ Regis Hispaniarum subjecta fuerint.—An regnis et locis, quæ ab ipsius obedientiæ et subiectione recesserint. *Circa personas*. An solis hispanis.—An solis in dominiis Hispaniæ commorantibus.—An absentibus, pro quibus accipitur.—Cujus conditionis personis potest prodesse Bulla.—An pueris et amentibus.—An peccatoribus.—An hæreticis et schismaticis.—An excommunicatis.—An catechumenis.—An defunctis.—An Regularibus.—An novitiis. IV. AUCTOR. Quis potest Bullam concedere.—An Bulla expiret morte concedentis.—An Papa possit Bullam revocare.—Quid requiritur, ut revocatio sit legitima.—An Bulla suspendatur tempore Jubilæi.—An revocata fuerit per *Constitutionem Apostolicæ Sedis*.—Quandiu durat Bulla.—Quomodo annus sit computandus.—An qui sumit Bullam ubi citius publicetur, et transit in locum ubi nondum est promulgata, uti possit privilegiis donec publicetur anno sequenti in dicto loco. V. CONDITIONES. “Ut quis Bullæ privilegiis frui possit, duæ conditiones requiruntur: 1.^o summarium accipere: 2.^o eleemosynam conferre. Ita Summus Pontifex. Ad hoc autem ut summarium accipiatur legitime tria á Commissario Generali præscribuntur; nempe. 1.^o ut quis illud sibi applicet per inscriptionem proprii nominis: 2.^o ut illud acceptet, duas cruces apponendo juxta rubricam Commissarii: 3.^o denique ut illud retineat.” *Quæsitæ. Circa acceptionem summarii*. An sufficiat intentio

seu voluntas sumendi summarium.—An sufficiat praesumptio, qua quis credit alium pro se illud sumpsisse.—Qualis debeat esse applicatio et acceptatio summarii.—An necessario requirantur, tum inscriptio nominis, tum signa crucis.—Qualis debeat esse diligentia in summario retinendo. *Circa eleemosynam.* Quenam quantitas eleemosynae eroganda sit.—An valeat ex bonis illicite acquisitis.—An ex bonis non propriis.

LECTIO 2.^a N.

Cap. II. De gratiis et privilegiis in Bulla concessis. Gratiae et privilegia Bullae sunt duplicis classis: alia immediate ipsis fidelibus, Bullam accipientibus, conceduntur; alia Commissario Generali, ut ipse valeat illa dispensare. *Seorsim. Art. I. De gratiis et privilegiis ipsis fidelibus immediate concessis.* Gratiae et privilegia hujus primae classis continentur in septem prioribus Bullae paragraphis. De illis singillatim.

§. I.

“Materia hujus primi paragraphi est Indulgentia plenaria, quam omnes et singuli Christifideles lucrari valent intra annum publicationis Bullae.” *Quaesita.* An haec Indulgentia sit vere plenaria.—Quenam opera praescribuntur ad illam lucrandam.—An in praesenti, ut olim, requiratur applicatio Confessarii.—An in nova Bulla á Pio IX, data, aliqua alia Indulgentia plenaria desideretur.

§. II.

“In hoc secundo paragrapho continetur privilegium pro tempore interdicti: scilicet, fideles Bullam habentes, possunt praedicto tempore, 1.^o Missas et alia divina Officia celebrare, vel celebrare facere, et illis interesse, tam in Ecclesiis, quam in Oratoriis privatis: 2.^o Eucharistiam et alia Sacramenta in dictis Ecclesiis vel Oratoriis recipere: 3.^o et in loco sacro eorum corpora sepeliri.” *Quaesita.* Quid in hoc loco nomine interdicti intelligitur. *Circa Missam et divina Officia.* An omnes divinis Officiis assistentes Bullam accipere debeant.—Quinam veniunt nomine consanguineorum, domesticorum, et familiarium.—An qui hoc gaudent privilegio, teneantur Missam audire diebus ab Ecclesia praeceptis. (4.)—An vel quando celebratio Officiorum divinatorum permittatur in Ecclesia specialiter interdicta. (2.)—An Bulla concedat privilegium erigendi Oratorium. (11.)—An

Oratorium debeat esse proprium, ut audientes Missam praecepto Ecclesiae satisfaciant. (7.) Ad quid tenentur fideles qui Oratorio privato uti voluerint.—An haec oratio sit conditio necessaria. (3.)—An vi hujus privilegii liceat fidelibus tempore interdicti plures Missas in Oratorio privato eadem die celebrare facere et audire.—An etiam in diebus solemnioribus in indulto particulari exceptis.—Quid si Ordinarius apponat aliquam limitationem, sive circa dies, sive circa numerum Missarum. (7.)—Quid si hujusmodi limitatio apponatur ab ipso Pontifice in rescripto Oratorii. Haec quoad tempus interdicti. Extra hoc tempus S. Cong. Concilii declaravit privilegium Bullae Cruciatæ non suffragari pro hujusmodi Oratoriis, et altaribus, ac Missarum celebratione. (27. Jun. 1868.) *Circa Sacramenta*. Quatenus Sacramenta recipere licet tempore interdicti.—Quomodo intelligenda sint verba illa *praeterquam in die Paschatis*. (7.)—An hoc privilegium suscipiendi Sacramenta in Oratoriis privatis vigeat extra interdicti tempus. “NEGATIVE.” *Circa sepulturam ecclesiasticam*. Quid intelligatur *moderata pompa funeralis*. (10.)—An Clerici Bullae privilegio opus habeant, ut in loco sacro sepeliri possint.—An pueri, amentes, et hujusmodi.—An ad hoc privilegium requiratur Bulla, quae dicitur *Defunctorum*.

§. III.

“Hoc paragrapho duplex privilegium conceditur: 1.º privilegium vescendi carnibus de consilio utriusque medici diebus ab Ecclesia prohibitis: 2.º privilegium libere utendi et vescendi ovis et lacticiniis tempore Quadragesimæ.” *Quaesita*. An liceat uti his privilegiis extra territorium Hispaniae. *Circa privilegium carnis*. An ut quis hoc privilegio uti possit, requiratur causa, et qualis. “Sive necessitas, sive infirma valetudo, sive alia quaecunque indigentia,”—An stante aliqua ex his causis, privilegium sit superfluum.—Quisnam veniat nomine medici, sive spiritualis sive corporalis.—An dispensatus ab abstinentia carnis, teneatur in die jejunii unicam tantum comestionem facere, et epulas non permiscere.—*Circa privilegium lacticiniorum*. An requiratur causa, ut quis hoc privilegio uti possit.—Quinam excipiuntur ab hoc privilegio.—An in exceptione Regularium comprehendantur Novitii.—An excipiantur Clerici in *Sacris* ordinati, qui non sint Presbyteri.—An verba illa, *qui ad sexaginta annorum aetatem non pervenerint*, ad solos Presbyteros saeculares referantur.—An personae exceptae in hoc paragrapho quoad usum ovorum et lacticiniorum, possint vi alterius privilegii ovis et lacticiniis libere uti.—Quid in praesenti de Bulla *Lacticiniorum* dicta. 1.º Comisarius Generalis, facultate accepta á Papa Pio IX., illam extendit ad Presbyteros Regulares; non vero ad Moniales, neque ad Religiosos professos,

qui non sint Presbyteri. 2.^o Declaravit tamen hos, nempe, Moniales et Religiosos exceptos, ovis et lacticiniis uti posse, dummodo Bullam vivorum et Privilegium carnis (Bula de carne) accipiant.—Quomodo Bulla Lacticiniorum definiri potest. “Privilegium concessum Praelatis Ecclesiae et Presbyteris, tam saecularibus, quam regularibus vescendi ovis et lacticiniis in Quadragesima, *excepta tamen tota hebdomada majori.*”—Quaenam requiruntur, ut quis hoc privilegio frui possit. “1.^o Summarium accipere: 2.^o eleemosynam erogare: 3.^o Bullam vivorum et privilegium carnis habere.

§. IV.

“Materia hujus paragraphi est Indulgentia partialis quindecim annorum et totidem quadragenarum, una cum participatione orationum. ; opera vero praescripta jejunium et oratio.” *Quaesita.* An sufficiat jejunium ex voto debitum.—Quae oratio praescribatur, et ad quos fines.—Quid intelligitur per participationem orationum, eleemosynarum, etc.

§. V.

“In hoc quinto paragrapho tres gratias concessas invenimus; scilicet: 1.^o Ut qui in diebus stationum Romae visitaverint quinque Ecclesias seu altaria, lucrari possint omnes et singulas Indulgentias quae Romae Indulgentiae stationum fuerint. 2.^o Ut qui praedictis diebus visitationem peregerint cum receptione Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae, indulgentiam plenariam lucrari valeant, quamvis indulgentia stationibus Romae concessa partialis fuerit. 3.^o Ut hanc ipsam plenariam indulgentiam pro animabus Purgatorii applicare possint in diebus, qui ad calcem hujus paragraphi indicantur.” *Quaesita.* Quid nomine *stationis* intelligatur. (22.)—Quot sunt dies, in quibus fit statio in Ecclesiis Romae. (Nota.)—Quaenam indulgentiae fixae existant hujusmodi stationibus. “Indulgentiae stationibus Romae concessae omnes sunt PARTIALES, quatuor tantum exceptis; nimirum, quae conceduntur stationibus in Coena Domini, in dominica Resurrectionis, in festo Ascensionis, et in tertia Missa Nativitatis D. N. Jesu Christi. (S. Cong. Ind. 9. Jul. 1777.)

§. VI.

“Materia hujus paragraphi sexti sunt privilegia, quae concedi solent tempore Jubilaei; videlicet, privilegia eligendi quemlibet

Confessarium ex aprobatis ab Ordinario, et obtinendi ab eo absolutionem á reservatis, et votorum commutationem.“ *Quaesita. Circa electionem Confessarii.* A quo approbatus esse debeat Confessarius eligendus. (28.) An hoc privilegium faveat Regularibus et Monialibus. (36.) *Circa absolutionem reservatorum.* Quid conceditur in ordine ad casus reservatos. (29.)—Qui casus excepti manent.—Quaenam requiruntur, ut absolutio valida sit ac licita. (29.)—Quomodo intelligenda sint verba illa, *semel in vita, et semel in articulo mortis.* (35.) An facultas absolvendi in articulo mortis sit superflua, supposito privilegio Tridentini. (34.)—An absolutio á censuris valeat etiam pro foro externo. (37.)—An facultas absolvendi á censuris intelligatur de suspensione et interdicto. (41.)—An de irregularitate.—An data absolutione sub promissione parti satisfaciendi, reviviscat censura, si poenitens non satisfaciat.—(43—44.)—*Circa commutationem votorum.* Quid conceditur in ordine ad commutationem votorum. (45.)—Quaenam sit materia substituenda. (46.) An *subsidium* necessario sit imponendum. (50.) An commutari possint juramenta et vota juramento firmata. (51.)—Quaenam vota excipiuntur á commutatione.—Quid intelligatur per votum *ultramarinum.* (53.) An commutari possint vota simplicia in aliqua Congregatione Religiosa emissa.—An vota castitatis et Religionis possint aliquando commutari. (52. 54. et sequentibus.) An commutatio fieri possit extra confessionem. (60.)

§. VII.

“In hoc paragrapho conceditur facultas duplex summarium sumendi; atque hinc facultas bis utendi et fruendi omnibus gratiis et privilegiis Bullae, tam pro se, *quam pro animabus in Purgatorio detentis.* Quibus postremis verbis innuitur privilegium *Bulla defunctorum* dictum, de quo ita legitur in summario Bullae, lingua vernacula edito, ad calcem primi paragraphi: “Ademas concedemos otra “igual indulgencia plenaria, por via de sufragio, á las almas de los “difuntos, por quienes los fieles contribuyeren de sus bienes con la “limosna que señalaremos en el respectivo Sumario de Difuntos.” Unde *Bulla defunctorum* est concessio indulgentiae plenariae pro animabus fidelium defunctorum á Summis Pontificibus Paulo V. et Urbano VIII. facta. *Quaesita.* An haec indulgentia sit distincta ab indulgentiis Bullae vivorum. (62.)—Quaenam requiruntur, ut haec indulgentia possit applicari. 1.^o Eleemosynam erogare: 2.^o summarium accipere: 3.^o illud pro una anima determinata applicare.“—An necesse sit, ut in Bulla inscribatur nomen, tum accipientis tum defuncti. (63.)—An una Bulla possit applicari pro pluribus animabus.—An pro una eademque anima duplex summa-

rium sumi possit. (64.)—An requiratur, ut defunctus obierit intra territorium hispanum.—Quandonam indulgentia suum effectum habeat.

LECTIO 3.^a N.

Art. II. De gratiis et privilegiis Commissario Generali concessis. Hujusmodi gratiae seu facultates comprehenduntur in postremis quinque Bullae paragraphis; de quibus nunc.

§. VIII.

“Triplex facultas datur Commissario Generali in hoc praesenti paragrapho: videlicet, 1.^o dispensandi in quibusdam irregularitatibus: 2.^o convalidandi titulos beneficiorum invalide susceptorum: 3.^o decernendi compositionem super fructibus beneficii sic suscepti.” *Quaesita. Circa dispensationem irregularitatum.* In quibus irregularitatibus Commissarius dispensare valeat. “*Fonte, censura, et sacris per usurpationem.*”—Quaenam excipiuntur. “*Crimine, leto et sacris per illegitimam susceptionem.*—An facultas dispensandi super praedictis patiatur aliquam exceptionem. 1.^o Quod violatio censurae non fuerit in contemptum Clavium: 2.^o quod subjectum non insorduerit in irregularitate per sex menses.”—An hoc privilegium se extendat ad irregularitates *ex defectu. Circa convalidationem titulorum et compositionem fructuum.* An vel quae beneficia excipiantur á convalidatione et compositione.

Facultates Commissario collatae in paragraphis IX. et XI. patent per se. In ceteris, nempe, in X. et XII. agitur de Bulla *Compositionis* dicta, de qua seorsim.

De Bulla Compositionis. Bulla Compositionis definitur: “Privilegium Commissario Generali á Papa collatum, et per ipsum fidelibus concessum, compensationem quamdam faciendi super bonis male habitis et debitis, ita ut possint tuta conscientia ea retinere.” Bona, *compositionis* objectum, sunt triplicis generis: 1.^o Fructus beneficiorum sub aliqua irregularitate susceptorum, de quibus agitur in paragrapho VIII. 2.^o Fructus beneficiorum simplicium invalide percepti ob omissionem recitationis Horarum Canoniarum; et de his agitur in paragrapho X. 3.^o Bona quaelibet injuste ablata seu acquisita; et de his in paragrapho XII. Notandum est denique compositionem fieri posse, vel per Bullam, vel directe per Commissarium. *Quaesita. Circa compositionem ob omissionem recitationis Horarum.* An vel quae beneficia excipiantur á privilegio compositionis.—Quomodo compositio hujusmodi fieri debeat. (§. X.) *Circa compositio-*

tionem super injuste ablatis seu acquisitis. “Bona injuste ablata seu acquisita, quae objectum compositionis esse possunt, sunt illa tantum, quorum dominus est ignotus. Conditiones autem, quae requiruntur ut compositio decerni possit, sunt sequentes: 1.^o ut adhibita fuerit debita diligentia pro domino inveniando: 2.^o ut praestetur juramentum de hac diligentia facta: 3.^o ut ablatio seu injusta acquisitio facta non fuerit in confidentiam, et sub spe compensationis. An componi possint bona, quorum dominus est cognitus, sed ita absens, ut non sit spes eum inveniendi. (74.)—An bona ex justitia debita Reipublicae, Ecclesiae, aut alicui Communitati. (75.)—An debita pauperibus.—An stipendia Missarum.—Qualis diligentia adhiberi debeat pro inveniando domino. (72.)—An juramentum semper praestari debeat.—Quid intelligatur per verba illa *in confidentiam, et sub spe.* “Ut quis ad furandum moveatur ex confidentia compositionis obtinendae, ita ut aliter aliena non tolleret aut acciperet.”—Quinam frui possunt privilegio compositionis. (76.)—An defuncti.—An Religiosi et Moniales.—Quid requiritur ad compositionem, si haec fiat per Bullam. “1.^o Summarium accipere: 2.^o eleemosynam erogare: 3.^o Bullam *vivorum* habere.”—An hoc summarium *Compositionis* retineri debeat. (73.)—An necesse sit in eo scribere nomen accipientis.—Quaenam sit eleemosyna á Commissario taxata pro quolibet summario.—Quae bonorum summa per hanc eleemosynam componitur. (n. 80.)—An vel quot summaria ab una eademque persona accipi possint.—Quid si indigeat compositione majoris summae seu quantitatis. (n. 81.)—An, compositione facta, bona injuste acquisita in conscientia retineri possint. (79.)—Quid si post compositionem dominus compareat.—An detur aliqua regula generalis, quae comprehendat omnes casus, in quibus compositio locum habeat. Regula generalis haec est: “Quoties juxta principia moralia obligatio restitutionis est certa, et res vero domino tradi nequit, sed pauperibus vel causis piis est eroganda, compositio tenet.”

Clausula finalis Bullae Cruciatæ. Ad ultimum conceditur Commissario duplex alia facultas; nimirum, conficiendi et evulgandi summaria, et congruam eleemosynam pro vario fidelium gradu et conditione taxandi. Harum autem eleemosynarum administratio pertinet ex novissima Conventione ad Episcopos sive Ordinarios locorum, qui eas applicare tenentur ad Cleri sustentationem. *Quaesita.* An in Brevi Pii IX., ut olim, concedatur Commissario facultas suspendendi indulgentias et alias gratias pontificias.—An proinde in praesenti requiratur Bulla Cruciatæ, ut quis alias indulgentias á Papa concessas lucrari valeat. (n. 70.)—Quaenam sit eleemosyna á Commissario taxata pro Bulla communi *vivorum*.—Quaenam pro Bulla *lacticiniorum*.—Quaenam pro Bulla *defunctorum*.—Quaenam pro Bulla *compositionis*.

APENDIX III.

DE INDULTO QUADRAGESIMALI

VULGO, BULA DE CARNE.

LECTIO. 4.^a. N.


I. DEFINITIO. Indultum quadragesimale est privilegium pontificium fidelibus concessum, ut intra limites Hispanae Ditionis salutari-
bus carnibus uti possint, tan quadragesimalibus, quam ceteris anni
diebus ab Ecclesia prohibitis, quibusdam tamen exceptis. Differt á
privilegio ejusden generis, quod in paragrapho tertio Bullae Crucia-
tae conceditur: 1.^o quia vi Bullae Cruciatæ non licet carnibus vesci,
nisi de consilio utriusque medici et cum causa; vi autem Quadrage-
simalis Indulti licet carnibus uti *libere*, id est, absque praevio consilio
et sine causa: 2.^o quia in Bulla Cruciatæ nullus excipitur dies, in
quo, possitis ponendis, abstinentia servari debeat; in hoc autem In-
dulto utique excipiuntur: 3.^o quia privilegium Cruciatæ antiquum
est, utpote á tribus saltem saeculis datum; Indultum vero Quadra-
gesimale est novissimum, ineunte hoc saeculo decimo nono con-
cessum. II. CONDITIONES. Ut quis Indulto Quadragesimali frui
possit, duae requiruntur conditiones: 1.^o Quoad divites, summarium
accipere, et eleemosynam taxatam erogare; quoad pauperes, preces
sive orationes á Commissario designatas pro intentione Summi Pon-
tificis recitare 2.^o Quoad omnes, Bullam Cruciatæ communem seu
vivorum habere. *Quaesita*. Qui dies excipiuntur ab usu carnis in In-
dulto Quadragesimali.—Quinam censentur pauperes, ita ut ab elee-
mosyna eroganda exeusentur.—An pauperes, praeter orationes
recitandas, necessario sumere debeant summarium Bullae Cruciatæ.
“AFFIRMATIVE. 1.^o Quia per Indultum Quadragesimale nihil innova-
tum est quoad Bullam Cruciatæ. 1.^o Quia ex Indulti verbis Papa
pauperes dispensat tantum ab eleemosyna *duplici*, id est, á secunda
eleemosyna, quam divites erogare tenentur, non vero ab *utraque*. Et
ita tenendum esse pluries declaravit Commissarius Generalis. Itaque
pauperes, qui eleemosynam Bullae Cruciatæ solvere non possunt aut
nollunt, privilegio carnis uti nequeunt, et legem abstinentiae servare
debent. Quod si abstinentia sit eis admodum difficilis, tum ratione la-
boris tum ex defectu cibi, excusantur á lege, et proinde privilegio non
indigent.— “An dispensati ab abstinentia carnis, teneantur in diebus
jejunii ad unicam comestionem et ad epulas non permiscendas.—An
lex de non permiscendis licitis et interdictis epulis obliget etiam illos,
qui ad unicam comestionem non tenentur.(1107.) Quaenam sit ele-


mosyna á Commissario taxata pro Indulto Qradagesimali.—Ad quos pertinet harum eleemosynarum administratio, et in quos usus impendi debeant.“ Ex novissima Conventione proventus Indulti Quadragesimalis administrari debent ab Ordinariis, eos impendendo beneficentiae Institutis et charitatis operibus in propriis dioecesibus.“

LECTIO ULTIMA.

EPILOGUS GENERALIS.

A. M. D. G.







PROGRAMMA
DE
THEOLOGIA
MORALI

1-9

B.A.

9-14

35